


# DE

# JOVE HOMERI

## DISSERTATIO

SCRIPSIT

DR. C. G. DE ECKENBRECHER.

BEROLINI

E LIBRARIA G. BETHGII

MDCCCXXXIII.

AUGUSTO SCHULTZIO

DIRECTORI
SUPERIORIS SCHOLAE MERCATORIAE ET
TECHNICAE MAGDEBURGENSIS

VIRO SUMME REVERENDO

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

AUCTOR.

# PRAEFATIO.

Saepenumero mirum mihi visum est, quod quum viderem Homeri rerum humanarum descriptiones quanta pulchritudine reliquos poetas vincerent, eundem Homerum res divinas, quae utique magnam operum ejus partem efficiunt, vel maxime imperite et incommode finxisse vulgata opinio contendit. Uno enim fere, ut mihi videtur ore, opiniones similes ejus quam fovet J. H. Vossius, qui homines meliores quam deos ab Homero inductos affirmet, *) in medium proferuntur. Quam ob causam ad Homeri fa-

*) Mytholog. Briefe III., pag. 6. ed. II. — — „nachdem Homer etwas weniger roh die Götter, doch weit sittlichere und achtungswürdigere Menschen gezeigt." — —

appareat, non magis aliis diis quam ipsi subjectum sit, imperium quoddam et potentiam cogitandam esse, cui Juppiter cum

---

potestatem. Ceterum neque aurea illa libra, qua Juppiter sortes mortalium examinat, tantum huc pertinet, quantum videri possit. Uno enim Iliadis loco (XVI, 644 sq.) quod Juppiter illa libra sortes hominum expendit ita interpretatur Homerus, ut videamus eum illo librae usu meditationem Jovis significare. Nam v. 644 — 47 legimus:

— οὐδέ ποτε Ζεὺς
τρέψεν ἀπὸ κρατερῆς ὑσμίνης ὄσσε φαεινώ,
ἀλλὰ κατ' αὐτοὺς αἰὲν ὅρα, καὶ φράζετο θυμῷ
— — —
ὧδε δέ οἱ φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι etc.

quod idem significatur v. 658 verbis: Διὸς ἱρὰ τάλαντα. Qua Homeri ipsius interpretatione, et in universum allegorico Homeri sermone commovemur ut etiam ceteris locis (Il. VIII, 70. XXII, 210. XIX. 223) illam libram de meditando interpretemur, cogitantes de latinae et germanicae linguae eadem imagine: — ponderare, — erwaegen. Fatendum autem est, Jovem, quia cogitet, neque vero is sit qui tam principia legesve cogitandi quam omnes res mundi quibus applicet has leges creaverit et genuerit, — idcirco Jovem ab externa potestate pendere. Nec tamen negligendum, uno certe loco (Il. XIX, 223) Jovem ipsum libram inclinare, itaque absolutum quodammodo in cogitando apparere.

omnibus diis reliquis pareat: Homerum autem animadvertisse hanc imperfectam deorum conditionem, eamque quo suppleret, fatum omnium deorum et rerum principium et dominum induxisse, consentaneum videri. Cui opinioni in promptu est quod opponatur: Ob imperfectam deorum naturam non solum ideam necessitatis fatalis Homero, quin superiorem etiam, dei nimirum unius, omnium rerum moderatoris summi tribuendam censeri posse, propterea quod omnis, modo secum consentiens meditatio, omni divinae naturae non absolutae absolutum quendam dominum praeponere cogatur —, hanc ideam igitur Homero tribuendam, si sententiam suam de summo quodam in deos imperio omnino *disertis verbis non proferret*, — quousque enim non contendi possit Homeri silentium loqui? — Sed disertis verbis Homerus sententia sua nullum superioris cujusdam potentiae in Jovem imperium esse confirmat. Quod multis ex locis satis apparet: cf. Od. V, 4 οὗτε κράτος ἐστὶ μέγιστον. Od. XIII, 399 Κελαινέφης Κρονίδης ὅς πᾶσιν ἀνάσσει. XXIV,

472; ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων. IV, 237 δύναται γὰρ ἅπαντα Ζεύς Il. IV, 166; VII, 69; XI, 544; XVIII, 185 ὑψίζυγος Ζεύς (summus gubernator); Il. XIV, 213, ὁ ἄριστος: Il. XVII, 339 (ὕπατος μήστωρ) Il. XX, 242. 43. Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε ὅππως κεν ἐθέλῃσιν — ὁ γὰρ κάρτιστος ἁπάντων; III, 272, 298 Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε. VIII, 3 Ζεῦ — ὕπατε κρειόντων IX, 25 τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον. Locorum autem quales sunt Il. II, 668 Ζεύς — — ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει; Od. XIX, 303 θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος (ἄριστος enim J. H. Vossium — ad hymn. in Cer. 20 — sequentes „der Machtvollste" interpretamur, quia Homeri usus loquendi, vocabula ἀγαθός, ἄριστος ad magnas opes magis quam ad beneficentiam referenda — v. Passov. Lex. — videtur docere. Parum recte Vossius eod. loc. „denselbigen Sinn hat die altrömische Anrufung des Jupiter, Optume Maxume," hoc enim „Optume" a Cicerone ipso — De Nat. Deor. II, 25 — „beneficentissimus" explicatur. V.

quoque Cic. de fin. III, 20 —). Il. XII, 242; XIX, 258; XXIII, 43, eximiam copiam in Homero inveniri cuique homini*) Ceterum nullum quo Jovem fato parere pateat, vestigium in Homero indagari potest. Quod accuratiori de omnibus Homeri locis qui ad fatum referri possint, disputatione apparebit.

Primum igitur loquimur de illis quae plurimi ad fatum Homeri referunt vocabulis *αἶσα* et *μοῖρα* (*μόρος*), et de nexu in quo posita inveniuntur. Quae vocabula (excepto *μόρος*, quod tantum sortem hominum et mortem, nunquam partem significat) permultis locis manifeste partis**) sive por-

---

*) cf. etiam illum παλαιὸν λόγον apud O. Müller proleg. pag. 396: „Zeus ist Beginn, Zeus Mitte, durch Zeus wird Alles vollendet." cf. Paus. X, 24, 4. Wachsmuth hellen. Alterthumskunde II, 2) pag. 201.

**) e. c. μοῖρα Od. IV, 97. Od. XIV, 448. XVII, 258. XIX, 423. XIX, 591. XX, 171 (αἰδοῦς μοῖρα) XX, 260. XI, 533. III, 40, 66. Il. X, 253 (παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ — τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται). XV, 195. XIV, 68 (χώρης

tionis significationem habent, ad quam etiam etymologia eorum delegamur, et ad quam formae loquendi κατὰ μοῖραν *) (e. g. ἔλεξε κατὰ μοῖραν — etiam ἐν μοίρῃ Il. XIX, 186), — κατ' αἶσαν revocari possunt aptissime: harum enim potestas est: „congruenter parti," ei nimirum quae in manibus est, quae tractatur, de quo cum maxime sermo est, ut nos dicimus „dem Ort, der Stelle, dem Verhältnifs, den Umständen gemäfs."

Ceteris autem locis ubi μοῖρα (μόρος) et αἶσα inveniuntur, portionem bonorum et malorum sortis humanae **) significant, ut

---

ὀλίγην ἔτι μοῖραν ἔχοντες) — αἶσα Od. XVI, 101. ἐλπίδος αἶσα: idem XIX, 84. — V, 40; XVIII, 327. Il. IX, 378 (ἐν καρὸς αἴσῃ).

*) e. g. κατὰ μοῖραν Od. XII, 35 (de loquendo). III, 456 (de ministeriis in sacrificando). Od. IV, 783 (de ornanda armamentis nave). Il. XIX, 256 (de tacendo). — κατ' αἶσαν Il. VI, 333 (de objurgando). XVII, 716 (de loquendo).

**) e. g. Il. IX, 318 ἴση μοῖρα μένοντι — — V, 209. XXIV, 85. — Od. IV, 475. XIII, 306. XIV, 359. XIX, 259 — — κακῇ αἴσῃ κοίλης ἐπὶ νηὰς Ὀδυσσεὺς ᾤχετ' — — XXIII, 315, IX, 52.

facile intelligitur, — atque, si quid video, tantum abest ut illorum ubi μοῖρα et αἶσα simpliciter partem significant, locorum inspectio notionibus μοῖρα et αἶσα in iis locis, ubi de sorte bonorum et malorum usurpata inveniuntur, fatalis necessitatis notionem admistam esse edoceat, ut non esse, multo facilius persuaderi nobis patiamur.

Duobus autem modis μοῖρα (μόρος) et αἶσα portionem sortis humanae significant. Primum enim de vitae variis bonis et malis usurpantur, tum de illa sorte quae in iis quae homini tributa sunt, primarium quendam locum obtinet, de communi omnibus sorte moriendi. Sub hac duplici significatione vero μοῖρα et αἶσα saepius quodammodo ut personae divinae inducuntur (cf. Il. V, 629. V, 613. IV, 517. V, 629. XXIV, 210. Od. XVII, 326). Ex qua re nullo modo consequitur, his personis vim absolutam in ceteros deos tributam esse. Sunt tamen loci, qui personis illis tantam vim assignare videri primo aspectu possint, quorum tamen examinatio diligentior hoc non

ita esse docebit. Dicit enim (Il. XX, 127) Juno de Achille:

— — τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα
γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Hic autem non impedimur, quominus αἶσαν putemus a diis ipsis destinatam sortem, quae statuerit (ἐπένησε) ut Achilles illa die de qua hic sermo, mortem occumbat.*) In Odyssea autem VII, 197 κατακλῶθες legendum, sequentemque versum 198 ejiciendum censeo, tam ob locos comparandos Il. XX, 127. XXIV, 210, quam quia sine hac medela nimium v. 197 et 198 ab Homeri sentiendi et loquendi modo abhorrere videantur. V. Nitzsch Anm. 2, pag. 155. **) Ceterum de

*) cf. Lange (Einleitung in das Stud. der griech. Mythologie, Berlin 1825) pag. 133. „Wir dürfen uns nicht durch Stellen irre machen lassen, in denen es heifst dafs die Schicksalsgöttinnen gleich bei der Geburt eines jeden Menschen ihm das Geschick in den Faden spinnen — denn nur was Zeus befiehlt oder erlaubt, sind sie zu thun im Stande.“

**) Il. autem l. XXIV, v. 49 omnino huc non pertinere, sed explicandum putamus: sortes humani generis — graves nimirum et tristes, patientiam hominibus dederunt.

hoc loco idem valet quod de eo, quem modo ex Iliade adduximus.

Alia praeterea contemplatione verborum μοῖρα (μόρος) et αἶσα haec potius discimus. Multis locis nomine αἶσα vel μοῖρα (μόρος) insignitur aliquid, quod quibusnam cum deorum efficientia vinculis cohaereat statuere nullo modo, neque igitur ex his locis utrum αἶσα etc. a diis, an dii ab his pendeant (αἶσα Od. XIII, 306. XIV, 359. XV, 276. XXIII, 315. XIX, 259. XI, 61. V, 206. V, 288. VIII, 211. IX, 52. Il. I, 416. V, 209. XVI, 707. XXII, 477. XXIV, 428. μόρος Od. X, 175; Il. VI, 357. XX, 30. XXII, 280. V, 674. — μοῖρα Od. III, 269. IV, 475. Il. XXIV, 49) conjectura ulla possis assequi.

Aliis contra locis haud paucis αἶσα etc. id appellatur, quod Homero ipso teste deorum potentia effectum est. *) Immo accu-

*) e. c. Il. XX. 365 (Κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι ὁππότε κεν δὴ — Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι, ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι) et Il. XVIII, 115, 16 Achillis mors a deorum consilio pendet, eadem tamen Il. XXIII, 80 μοῖρα, XXIV, 85 et XIX, 417 μόρος nominatur. — Procorum mors Od. XXII, 413 μοῖρα

rate interdum rationes deorum afferuntur, cur hoc potissimum decreverint, quod alio loco μοῖρα etc., i. e. portio bonorum et malorum sortis humanae appellatur, veluti *Od. IX*, 532 sors Ulixis domum redeundi μοῖρα nominatur cum ex *Od. I*, 65 et *Od. XIII*, 331.

τῷ σε καὶ οὐ δύναμαι προλιπεῖν δύστηνον ἐόντα
οὕνεκ' ἐπητής τ' ἐσσὶ καὶ ἀγχίνοος καὶ ἐχέ-
φρων — —

rationes bene sciamus, cur dii Ulixem domum reduxerint. Qua ex necessitudine quae inter μοῖραν etc. et deos intercedit, tum ex eo quod αἶσα et μοῖρα Jovis et deorum αἶσα et μοῖρα nominantur (Il. XVII, 321. Od. XXII, 413), porro quod dii ipsi μοῖραν dant *) (Od. XIX, 592 — ἐπὶ γάρ τοι ἑκάστῳ μοῖραν ἔθηκαν — ἀθάνατοι θνη-

appellatur, quum Od. XXIV, 478 et aliis locis manifeste a deorum consilio pendeat. — Hector Il. VI, 488, XXII, 5 μοῖρα et αἶσα appellat quod Il. XXII, 297 deorum voluntas est. — Omnino consentimus cum iis quae dicit Lange pag. 131.

*) Duplicem illam αἶσαν de qua loquitur Platner, notiones juris et justitiae ex Hom. carm. ex-

*νοῖσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.* — Il. VI, 357), denique quod tam multis locis Juppiter et reliqui dii sortem hominum et in hora genitali (Od. IV, 208. Il. X, 70) et in universum nere dicuntur, (Od. I, 17. XVI, 64. XX, 196. III, 208. IV, 208. VIII, 579. Il. XXIV, 525) — ex hisce igitur omnibus quamquam non accurate concluditur, tamen verisimillimum fit, Homerum *αἶσαν, μοῖραν* et *μόρον* a deorum consilio pendentes cogitasse. Sunt tamen loci ex quibus nullum *αἴσῃ* etc. necessitatis absolutum imperium ab Homero tributum esse manifeste appareat. Videmus enim *Jovem ipsum (Il. XVI,* 434 *et XXII,* 168 coll. etiam Il. IV, 29)

---

plic. pag. 14 („Haec duplex *αἶσα*, et *proprie sic dicta*" — nimirum quae absoluta necessitate deos regit — „*et ea deorum*, interpretationem singulorum locorum eo difficilem reddit, quod dubii haeremus quo sensu hoc verbum accipi debeat") nos quidem non deprehendimus: neque consentire possumus cum ejusdem sententia, quam his verbis protulit: „si quis hanc duplicem *αἶσαν* componere et ad unam speciem redigere vellet, nulla alia ratio pateret quam haec: diis tantummodo ideo adscribi *αἶσαν* quod fati scita exsequuntur."

*dubitari, utrum αἴσῃ etc. consentienter an secus ipsi agendum sit,* quod fieri non posset si Homerus cum αἴσῃ etc. absolutam necessitatem conjunctam cogitasset, neque illis locis Jovis dubitationi Minerva et Juno necessitatis absolutae mentionem opponunt, ita ut dicant fato repugnantia omnino fieri non posse, propterea que irritam Jovis dubitationem esse: sed id monent, facta contra μοῖραν etc. ceteros deos laudaturos non esse (ἔρδ᾽ ἀτὰρ οὔ τοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι). Deinde autem *revera* μόρῳ *invito acta res narratur* Od. I, v. 34.

σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε᾽ ἔχουσιν *) Huc autem accedit quod *nullo loco* αἴσῃ etc. fatalem necessitudinem Homerus tribuit, quod Il. l. VI, v. 488 et Od. l. X, v. 174 — 75 non fieri vel sine longa

---

*) Nam illud (Il. XVI, 780) καὶ τότε δή ῥ᾽ ὑπὲρ αἶσαν Ἀχαιοὶ φέρτεροι ἦσαν huc referre nolim. Significat enim: fortiores erant Achivi quam pro copiis suorum sperari poterat, vel parti suae exiguae non conveniebat tanta vis: quod simile illi Thucididis (III, 11) δυνατώτεροι αὐτοὶ αὐτῶν ἐγίγνοντο.

demonstratione intelligitur, at locum Od. III, 238 huc referendum non esse Nitzschius *) satis clare ostendit.

Reliqua autem quae ad fatum referri **) possint ut Od. V, 312. XXIV, 34 (εἵμαρτο) Il. III, 309 (πεπρωμένον) etc., aut ejusmodi sunt ut verisimile inde fiat deos non fato obedire, — θέσφατον enim Od. XI, 150 nominatur idem, de quo dicitur Od. XI, 138 ἐπέκλωσαν θεοὶ αὐτοί — aut ita comparata sunt, ut imperium fati in deos certo inde derivari nequeat. Locus enim similis illi Herodoti (Herod. I, 91 τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ) universis in Homeri carminibus invenitur nullus.

Hac igitur quam instituimus de fato disputatione, nullum in Homero cum absoluta deos necessitate adstringens fatum inveniri posse, demonstratum putamus. ***)

*) Anmerk. z. Hom. Od. 1 Band, pag. 179, 80.

**) Κῆρες huc non pertinent: coll. Nitzsch. ib. pag. 177, 78.

***) Quod O. Müller proleg. pag. 247 dicit „dem Geschick ist Zeus unterthan wie alle andern Götter" argumentis satis certis probatum non videtur; neque

## CAP. II. DE JOVE RERUM HUMANARUM GUBERNATORE.

Jovis rerum humanarum administrationem primum sic contemplabimur ut videamus quae in universum ejus vis et natura sit, tum ut quaeramus, quonam modo in illis singulis Iliadis et Odysseae rebus gestis, quae maximae nobis videntur, se ostendat.

In universum igitur de Jovis providentia haec monemus, ea quidem tantum afferentes, quae maxime rem causamque hujus

magis illud Platneri (pag. 20) „[fatum] nobis imaginem exhibet summae et absolutae legis, de cujus ortu et causa ratio reddi non potest, et ad quam pervenimus, si argumentationem usque ad extrema concludamus," — neque illud — „(pag. 24) deinde sunt loci in Homero, qui deos fato inferiores faciant." — Omnino cum Nitzschii sententia (Anm. Bd. I, pag. 179, 80) consentimus. Ceterum quamvis cum Langii (l. c.) uberiore de fato Homeri commentatione in eo, quod nullum fatum cui Juppiter pareat in Homero censemus inveniri posse, consentiamus, tamen hanc nostram de fato Homeri disputationem ea qua fecimus prolixitate exponendam censuimus. Nam in singulis cum Langio dissidemus,

loci videntur continere. Primum de Jove id valet quod de omnibus diis in universum Homerus tradit. His autem curae esse res humanas, multumque de hac cura loqui Homerum, consentaneum est. Id enim manifesto docetur locis plurimis. (coll. Od. III, 228. IV, 351. VIII, 410 — 13. *XIII*, 41. XIV, 39; 61; 53; 65; 178. XVII, 119; 271. XXIII, 287. XII, 419. XVIII, 264. III, 272. III, 28; 205. IV, 7; 12; 591. VII, 214, 242. Il. I, 217; 290. II, 599. XXIV, 427; cf. etiam auctor. vit. Hom. in D. Gale opusc. mythologic. pag. 285: „Πεποίηκε δὲ τοὺς θεοὺς ἀνθρώποις ὁμιλοῦν-

atque disquisitiones de tam gravibus rebus, quamvis ad eandem summam perducant, ex diverso respectu instituí, opportunum arbitramur. — Jovem fati necessitate non teneri ostendit quoque J. C. F. Manso, über die Parcen, in: Versuche über einige Gegenstände der Mythol. der Gr. und Römer 1794. Dicit pag. 503: „Gewisse Hauptbegebenheiten in der Regierung der Welt und in dem Leben der Menschen sind im Rathe der Götter (denn ihre vorsehende Kraft ist über alle Ahndungen der Sterblichen weit erhaben), mit einer ziemlichen Gewißheit, obgleich nicht durchaus unabänderlich und bedingungslos entschieden.“ —

τας; οὐ μόνον ψυχαγωγίας καὶ ἐκπλήξεως χάριν, ἀλλ' ἵνα καὶ ἐν τούτῳ παραστήσῃ, ὅτι κήδονται καὶ οὐκ ἀμελοῦσι τῶν ἀνθρώπων οἱ θεοί). — Tum autem praecipue Jovem rerum humanarum moderatorem invenimus coll: Od. XIV, 184; 236. *XV*, 112. XIX, 297. XV, 340. XVI, 117: atque illud quoque: αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον! Od. XVII, 132; XVIII, 234 huc pertinet: tum XX, 236. XX, 102. II, 34. III, 152; 160. IV, 34. *IV*, 44. *VIII*, 82. Il. IX, 686. X, 45. XXII, 403. II, 668 ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι ἀνάσσει. III, 276. Z. Ἴδηθεν μεδέων. III, 351 Z. ἄνα VIII, 31 ὕπατε κρειόντων. XXIV, 291 Ζεὺς Ἴδαιος ὅστε Τροίην κατὰ πᾶσαν ὁρᾶται. Qua quoque opinione, res humanas pendere a Jove, quid pulchrius in precationibus tam saepe tamque ardenti corde factis apparet? (Od. XV, 352. XVII, 354; XVIII, 141. VII, 331. Il. II, 412. III, 350. VI, 476. XII, 164. *XV*, 372. *XVII*, 498. *XXI*, 273. *XXIV*, 301.

Praeterea cogitari providentiam Jovis ex cognomine ejus πατήρ (etiam πατὴρ ἀν-

δρων τε θεῶν τε) cernitur, quod longe saepius quam reliqua quae alioquin frequentissima sunt, invenitur. Horum enim e. c. νεφεληγερέτα (Ζεὺς) *triginta* circiter, πατὴρ autem *plus septuaginta* locis legitur.*)

Nomine autem illo πατήρ cum patris bonitate mundum a Jove administrari**) Homerus se credere declarat. Quo ducimur etiam illo ad omnes deos pertinente cognomine δωτῆρες ἐάων***) Od. VIII, 325, et illo

---

*) Quam vocem πατὴρ non de generatione deorum hominumque, sed de paterno in hosce imperio recte intelligi jam veteres viderunt. V. Aristot. Politic. I, 5, 22 sq. ed Göttl. Cic. de republ. I, 36. — Bene J. H. Vossius ad hymn. in Cerer. 322: „Vater Zeus, bei Homer der Menschen und Ewigen Vater, für Oberer, aus der Sprache des Hirtenalters, da der Vater, und an dessen Statt der älteste oder der tapferste Bruder Patriarch war." cf. etiam Lange pag. 112.

**) Nec tamen summa bonitate a Jove res humanas curari cantat Homerus, et in universum id vel maxime tenendum, nusquam absolutissimae, sed permagnae tantum perfectionis virtutes, ab Homero diis tribui.

***) Quamvis fieri possit ut recte Göttlingio — ad Hes. Theog. 664 — auctore ἐάων ab ἐῢ idque

more pio, quo boni aliquid exoptantes ad deos se convertunt (e. c. Od. XIII, 41). Prae ceteris autem Jovem bonorum auctorem cogitari videmus coll. *Il. XX*, 21. *Il. XVI*, 433 sq. *XXII*, 168 (ὢ πόποι, ἦ φίλον ἄνδρα διωκόμενον περὶ τεῖχος — ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι, ἐμὸν δ' ὀλοφύρεται ἦτορ ——). VI, 476. Od. XVII, 354. XVIII, 111 etc. etc. — Tum benignitas Jovis effulget ex illa de Precibus, (Λιταί) ipsius filiabus fabula (Il. IX, 502 sq.), tum eo quod curae maximae ei — ut diis in universum (Od. XIV, 83. XV, 328) justitia est, *) (cf. Od. III, 132).

---

ab εἰμί derivetur, itaque „omne quod est in rerum natura" significet, ipse tamen quo melius ab εἰμί quam ab ἐΰς hanc vocem duci probetur, nihil attulit. Quocirca in vetere, a Buttmanno (Gramm. I, 151) satis ut videtur confirmata explicatione persistendum videtur, praesertim quum et propter oppositionem illam verborum ἐάων et κακῶν in Il. l. XXIV, 528, ubi ἐάων v. 530 Homerus ipse voce ἐσθλός paene interpretatur, et propter adjectum δωτῆρες haec explicatio valde commendetur.

*) Sic animus mitis et benignitas in praecipuis animi lineamentis Jovis illius erat quem duce Homero finxerat Phidias cf. Böttiger Mythologie des

καὶ τότε δὴ Ζεὺς λυγρὸν ἐνὶ φρεσὶ μήδετο νόστον
Ἀργείοις· ἐπεὶ οὔτι νοήμονες, οὐδὲ δίκαιοι
πάντες ἔσαν. — —
Od. XIII, 213:
Ζεύς σφεας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅστε καὶ ἄλλους
ἀνθρώπους ἐφορᾷ καὶ τίνυται, ὅστις ἁμάρτῃ.
(Il. I, 138. IX, 98. XVI, 386), eo denique, quod ἑρκεῖος, domi et fundi conservator, quod hospitum et pauperum et supplicum est patronus (Od. XIV, 57. VI, 208. VII, 165, 180. XIV, 284: Ζεύς — ξείνιος, ὅστε μάλιστα νεμεσσᾶται κακὰ ἔργα· — Od. XIII, 213 ἱκετήσιος. XVI, 420 ἱκετάων μάρτυρος. — Od. IX, 270. *)

Quod autem Juppiter haud raro mala dare dicitur, (Od. XIV, 243, 268, 300 [XX, 201, Il. III, 365.] Od. XI, 435, 558) — hoc partim ex loquentium inconsideran-

---

Zeus in: Skizzen zu 24 Vorlesungen im Winter 1809 pag. 57: „Der Hauptbegriff dieses Colosses war Herrschergewalt durch Milde gesänftiget.“

*) Platner pag. 35 sqq. cf. F. Jacobs Vermischte Schriften Th. 3, pag. 101 et al. loc.

tia,*) de qua Juppiter ipse Od. I, 32 ὢ πόποι οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται etc. — partim ex poenarum, quae malis mala persequuntur, natura, partim ex ea necessitudine, qua Juppiter cum reliquis diis conjunctus non omni ex parte sui est arbitrii, explicandum videtur. Sed de bonitate hactenus. De sapientia cognomina Jovis ad eam spectantia sufficiant. Od. XIV, 243 et alias saepissime μητίετα Ζεύς. XIV, 235 etc. εὐρύοπα**) Ζεύς: Il. XVII, 339 ὕπατος μήστωρ XXIV, 88 Z. ἄφθιτα μήδεα εἰδώς. Il. XV, 461 Διὸς πυκινὸς νόος etc.

Permultum denique ab Homero *potentia Jovis* illustratur, sed hic quoque, quia dubitationem res non habet, in commemoratione cognominum Jovis quae sequuntur

*) cujus exempla adde Od. XX, 201; Il. III, 365 illis quae pag. 72 in nota afferimus.

**) Recte enim J. H. Vossius (ad hymn. in Cer. 3.) cognomine Jovis εὐρύοπα facultatem ejus in loca remota cernendi (contra Stephanum qui de sono tonitruum late sonante ductum existimaverat) notari demonstrat; atque ita quidem etiam ad divinam Jovis providentiam referri putem.

acquiescimus. Od. VIII, 269. ἐρισθενής Il. II, ὑπερμενής. Od. XVI, 408. XVII, 354: quibuscum confer quae pag. 5 attulimus.

---

Quibus rebus breviter expositis, ad Jovis moderationem eorum factorum, quorum decursus in Iliade et Odyssea narratur, transire licet. E quibus maxima tantum hic contemplari nos posse consentaneum est. Atque primum in medium veniat illud, quod ceteris quasi pro fundamento est, cujusque narratio per Odysseam et Iliadem porrigitur, *bellum Trojanum*.

Quo in bello regendo divinam justitiam in conspectum venire, manifestum est, quod ostendit etiam Platner *) cujus tamen a sententia non possum non aliquantulum discedere. Primum enim non ultricem solum, sed praemii quoque auctorem justitiam in Trojae sorte videmus quum occasu ejus simul Graecis victoria paretur, et expletum omni ex parte adipiscantur propositum omnino justum. Itaque in hac re non malae

*) pag. 49 sqq.

solum causae interitum sed bonae quoque victoriam videmus. Tum vero caput Iliadis argumenti bellum Trojanum non videtur. *) Quod si esset Iliadis ceteris rebus tantopere istud postponi non posset. **) Res enim multae, quae nullo modo Trojae excidium illustrant quum copiose narrentur, urbis excidium paucis absolvitur. Ceterum Trojae excidio victoriam bonae causae a diis dari argumentis evincere ex locis, si paulo diligentius inspexeris, repetendis, idque demonstrare studebimus, excidium Trojae prae ceteris diis tribui Jovi.

Admodum igitur de industria, et tam vividis coloribus Paridis scelus Homerus

---

*) cf. G. W. Nitzsch Hall. Littzeit. 1831. Ergänzungsbl. pag. 708: „die Nemesis, welche Troja trifft liegt theils aufserhalb der Ilias, theils tritt sie, obgleich die Ahndung davon erweckt wird, hier doch ganz zurück." Quod autem Platner dicit pag. 60: „causa belli Trojani ejusque eventus, Ilii excidium, — quamvis non descriptum, at saepius commemoratum omnem actionem Iliadis regit et collustrat" mihi quidem non liquet.

**) Quamquam ut facta Trojae expugnatio narratur Il. XII, 15.

depingit et urget ut de ejus atrocitate Achivos, Trojanos, Paridem ipsum consentientes faciat. Veluti Il. III, 39 ubi Hector:

Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανές, ἠπεροπευτά!
αἴθ' ὄφελες ἄγονός τ' ἔμεναι, ἄγαμός τ' ἀπόλεσθαι etc.

et Il. III, 45, — 57 — μάλα Τρῶες δειδήμονες· ἦ τέ κεν ἤδη
λάϊνον ἕσσο χιτῶνα κακῶν ἕνεχ' ὅσσα ἔοργας.

Et respondet Paris v. 59

Ἕκτορ — με κατ' αἶσαν ἐνείκεσας, οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν.

— Il. III, 320; 453, 54. VI, 282 — 84: quo refer etiam Paridis descriptionem Il. XXIV, 29. Haud vero negandum, cum Paride omnes Trojanos sceleris societatem quandam habere. Cur enim Helena cum raptis opibus non redditur? Perspicue Homerus respondet locis qualis ille supra cit. Il. III, 45 — 57 et Il. XI, 123 — 25;

(Ἀντίμαχος) — ὅς ῥα μάλιστα,
χρυσὸν Ἀλεξάνδροιο δεδεγμένος, ἀγλαὰ δῶρα,
οὐκ εἴασκ' Ἑλένην δόμεναι ξανθῷ Μενελάῳ —

(Quem Antimachum clarius etiam cognoscimus v. 138 sqq.) — atque infitiari non possumus, in tota urbe virum qui strenue ut fieret quod justum erat, obtineret, inventum esse nullum. Illi autem Paridis sceleri adjungitur foederis*) violatio (Il. III.), cujus sceleris non minus quam illius, Trojani omnes socios se praebuerunt. Audiamus autem Homerum ipsum, disertis verbis, quod

---

*) *cf. Platner pag.* 52. — Ceterum hoc loco de Pandari sorte disputandum contra hos qui putent eum malum et veneratione indignum deum esse qui homines ipse ad scelera perducat. Haec qui forte dicant rogatos volo primum ut animadvertant a Jove non cogi Pandarum, sed allici tantum ad perjurium. Deinde vero omnino dicendum, quamvis nonnullis qui non satis rem inspexerint mirum videri possit, Jovem vix propterea quod insidias istas Pandaro struxerit, deteriorem videri Christianorum Deo, quem, nisi illud in oratione dominica: „μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν“ sensu caret, homines ad peccandum sollicitare posse confitendum est. Mea vero sententia nihil divinae mentis majestati detrahitur, si ab hac ad vitia homines incitari credamus: ea enim re, ut vitiorum illecebris stimulati ad virtutem laboribus et dolore escendant, mortalium vita continetur.

perraro fit, sententiam suam dicentem de Trojanis. Nam Il. VI, 55 dicit Agamemnon

— ὦ Μενέλαε, τίη δὲ σὺ κήδεαι αὔτως
ἀνδρῶν; ἦ σοι ἄριστα πεποίηται κατὰ οἶκον
πρὸς Τρώων! τῶν μήτις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον,
χεῖράς θ' ἡμετέρας· — — ἅμα πάντες
Ἰλίου ἐξαπολοίατ', ἀκήδεστοι καὶ ἄφαντοι.

et pergit *Homerus*

ὣς εἰπὼν ἔτρεψεν ἀδελφειοῦ φρένας ἥρως,
αἴσιμα παρειπών. —

At contra Achivorum bellum non rapinarum causa susceptum est, sed quod discimus ex Il. II, 356, 590, III, 28 et prae ceteris ex Il. III, 95 — 111 — 275 sqq. ubi foedus initur,*) ab Achivis se ut recipiant quae sua sint, et mulctam Trojanis atque supplicium ob scelera imponant, bellum omni ex parte justum gerere, creditum fuit.

*) Hoc enim ex loco videmus, non temere et jocose injri a Graecis foedus, ex quo si servabatur, nisi Helenam cum raptis divitiis accipiendi, spes concipi non poterat alia quaepiam. cf. v. 72. 92 — 94. v. 286.

Dii autem ut dent Trojanorum sceleri excidium urbis valde exspectatur, nec non quum urbs cecidit deorum id gratiae a Graecis tribuitur. Sed prae ceteris Jovi Trojae sortem tribui, ex rationibus quae sequuntur concludimus. Primum enim memores simus, Jovem esse ἑρκεῖον (Od. XXII, 385: ξείνιον Il. XIII, 625: Od. XIV, 389, de quo legimus Od. XIV, 284 Ζεὺς — ξείνιος ὅστε μάλιστα νεμεσσᾶται κακὰ ἔργα: *urbium autem eversiones* praecipue Jovi tribuuntur Il. II, 117. IX, 24. Od. XIX, 80, et Juppiter prae reliquis diis *juramentorum testis* est: Il. VII, 75, 411. X, 329. Tum autem praesertim Juppiter est abs quo Trojae expugnatio exspectatur, et cui quum facta est tribuitur: cf. Il. IV, 160. XIII, 620 — 39 (ubi Menelaus v. 623, 24 — Τρῶες — — οὐδέ τι θυμῷ — Ζηνὸς ἐριβρεμέτεω χαλεπὴν ἐδδείσατε μῆνιν — ξεινίου· ὅστε ποτ' ὔμμι διαφθέρσει πόλιν αἰπήν.) Il. I, 128. IX, 17 — 25. II, 309 sq. 349 (II, 353). *IV*, 269 — 71. XV, 215, (ubi Neptunus: αἴκεν ἄνευ ἐμέθεν καὶ Ἀθηναίης — — Ἰλίου αἰπεινῆς πεφιδήσεται: quibus ex

verbis quantum auctoritate Jupiter in hac re praepolleat, videmus.) Od. III, 119. In illo autem cum Junone Jovis (Il. IV, pr.) de Trojae excidio colloquio, multo Junone Jovem potentiorem esse in hac re regenda, apparet, eo maxime quod mirum quantum Jovi, ut assentiat ille urbis eversioni, Juno concedit (v. 50 — 54) — ac simpliciter et aperte dicit, Jovem si velit Trojam servare posse (v. 26).

Attamen cuique colloquium hoc de quo dicimus, primo aspectu permirum videatur necesse est, suspicionemque commovet, eo et irritam quodammodo fieri opinionem nostram de permagno Jovis in evertenda Troja momento, et excitari cogitationem de Jove qua multum de dignitate et excellentia ejus detrahatur. Quem scrupulum omnem diligentiori inspectione ad irritum casurum speramus.

De fabularum autem Homeri tali, qualem nunc facturi sumus interpretatione, si cui praeter modum longius repetita videatur, haec in universum juvat praemittere.

Si Homerus illius divinae potentiae

quae hominum sortes regit, cujusque inter proprietates maxime id referendum, ut saepius obscura et inexplicabilis videatur subtilius non cogitanti, et ei tantum qui studiosius veritatem quaerat apertior quodammodo ad intelligendum fiat — si igitur Homerus imaginem quam depinxit in carminibus suis providentiae illius ita finxisset, ut illud obscurum ad intelligendum quod ejusdem tantopere proprium est, non describeret, manifesto imaginem suam rei depingendae congruentem non fecisset: saepius enim providentia divina tanquam tenue quoddam filum humanis rebus est intextum; illudne igitur poesis crassum et cuique facillime sub oculos cadens depingere debet? *) Quae quum ita sint, ad hoc tenue pictum ab Homero filum cognoscendum, subtiliori quoque, quae juste artificiosior alicui fortasse videatur, inquisitione opus est.

Jam locum Il. IV, 1 — 58 ita inter-

---

*) Interdum quoque Homerus de gubernatione divina sortis humanae talia narrat, quibus nihil nisi saepius omnino ignotis hominum res consiliis providentiae divinae regi significaturus videatur.

pretemur. V. 14 — 19 Juppiter postquam v. 5, — 6 his verbis:

.... αὐτίκ᾽ ἐπειρᾶτο Κρονίδης ἐρεθιζέμεν Ἥρην

oratio ejus inducta est: „meditemur, ait, utrum bellum an pax sit Trojanis cum Achivis.“ Quomodo autem si primum Iliadis librum consideramus, ut Juppiter de pace jam cogitet, fieri potest? — Itaque non serio hic, sed simulate quodammodo loqui et aliud quid quam pacem spectare videtur. V. 30 — 38 autem dicit „iniquum esse ut Troja ob Priami liberorumque ejus facta evertatur:“ profecto igitur ut Trojae servandae cogitationem non relinqueret exspectandum esset, — attamen pergit: se Trojam ex periculo eripere nolle, ne, scilicet, graves sibi cum Junone rixae exoriantur. Jovemne igitur de eo consilio, quod bonum ipsi videtur, causa quam, mirum quanto opere alioquin *) spernit, metu al-

*) Il. VIII, 477 — 83

ὣς γὰρ θέσφατόν ἐστι, σέθεν δ᾽ ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω
χωομένης, οὐδ᾽ εἴ κε — — — —
— — — — οὔ σευ ἔγωγε
σκυζομένης ἀλέγω, ἐπεὶ οὐ σέο κύντερον ἄλλο.

ceterum Il. XI, 80. XV, 105.

[illegible] cum uxore depelli se pati! — Nae ista si Jovem serio hic loqui putaverimus, longe quam par est, inter se pugnant vehementius. Atque, illam sententiam ut amplectamur, videndum ne alia nobis, eaque non minus intolerabilis ex iisdem verbis obtrudatur repugnantia. Firma enim illam aetatem, Jovis justitiam sceleribus Trojanorum excidium urbis daturam opinio tenebat. Fieri igitur non potest, ut revera Homerus Jovem, sibi non justum videri ut Troja evertatur, dicentem fecerit. Quomodò autem, interrogabitur, Jovem, si non serio loquitur, tamen Junoni et Minervae serio loqui videri, mente comprehendere possumus? — Hoc qui ex nobis forte quaesierint ad animi affectiones mentis lumine quodammodo destitutas, quae nonnunquam in Junone, rarius in Minerva apparent, rejicimus, monemusque, prae ceteris Paridis scelera Junonem, ut decet quidem ingenuum ejus animum, summa cupiditate persequi. Ceterum perquam astutis hic Jovem orationis artibus uti ut Junoni se serio loqui persuadeat, fatendum est. Junonis enim ani-

animum convertit in suam indignationem de ejusdem immani odio contra Trojanos, quod vividissimis coloribus depingit v. 34 — 36.

*εἰ δὲ σύγ' εἰσελθοῦσα πύλας καὶ τείχεα μακρά,*
*ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον Πριάμοιότε παῖδας,*
*ἄλλους τε Τρῶας, τότε κεν χόλον ἐξακέσαιο.*

— tum autem ejus animum advertit in amorem suum quem quidem quodammodo in Trojanos habebat, itaque eximio artis oratoriae artificio ut Juno sibi quod non dicit ex animo, credat, efficit. At quo omnis haec simulatio dissimulatioque? — Simulat Juppiter se id, quod conveniat intimo animo suo necesse est — Trojae excidium — decernere ea tantum de causa ut Junoni gratificetur. Itaque quum Juno commodo suo omnia posthabere eum credat, se, ut gratiam referat, ubi tempus ferat ex sua parte voluntati ejus obsecuturam promittit *(Il. IV,* 50 *sq.)*. Itaque calliditate Juppiter, ut grato Junonis animo postea aliquid adipiscatur, quod sine illa calliditate fortasse vi et pugna capere debuisset, spem sibi efficit. Necesse

autem erat manifestum bellum quam maxime a Jove vitari, quia id praeterquam quod interdum dolosis ambagibus adversarii (ut videmus Il. XIII. et XIV. in Junone et in Neptuno) potest circumverti, etiam a Jove ipso cum magnis periculis conjunctum putatur: cf. *Il. XV,* 205 *sq.*, ubi Juppiter quod Neptunus lubenti animo obsequatur sibi, vehementer gaudet: jam autem aliquando ut Juppiter sine Briarei auxilio a ceteris diis vinctus foret acciderat. Praesertim autem illo tempore (Il. IV. sq.) quo magnum Achivorum clade Junoni vulnus inflicturus est, multum ut Junonem quam maxime propensam sibi reddat curare debet. — Ut autem magis adhuc opinionem quam attulimus confirmemus, haec videntur monenda. Calliditatem moribus Graecorum inde ab omni tempore usque ad nostrum aevum penitus insitam invenimus, atque in Homeri carminibus de simulatione Agamemnonis (Il. II, pr.), de Ulixis callidis mendaciis, de Penelopae machinis artificiosissimis meminerimus. Quae cum ita sint, a Graeco poeta deum summum sine calliditate fingi potuisse

est quod dubitemus. Res probatur etiam Agamemnonis illa per Jovem destitutione (Il. II, 1. sq.), cum qua conferatur etiam Mercurii mendacium (Il. XXIV, 389) et praeterea ipsum Jovis cognomen Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω Od. XXI, 415. Il. II, 205. —

Sed de expugnatione Trojae hactenus. De rebus ceteris quae nobis maximae in Homeri carminibus videntur, jam fundamentum fabulae Iliadis contemplamur, cujus quam sibi Homerus informasse imaginem videatur jam nunc quaestio erit.

In Iliade igitur narratio *de Achillis* rebus omnino dominatur et principatum tenet. Et fingitur is quidem dea eaque haud ignobili natus, virtutibusque praeclarissimis insignis. Incredibili quodam fulgore elucet et splendet, ut praestringat paene aciem oculorum, admirabilique ista nos veneratione imbuat, qua aequales ipsum tanquam deum colebant. *) Quod quam facile

*) Posteri revera Achillem in deorum numero referebant. Cujus de consecrati Achillis domicilio et cultu in insula Leuce ad Borysthenis ostia, J. H. Vofs. (Mythol. Brief. T. III, pag. 59 sq.) complures

ex quacunque Iliadis parte primo aspectu colligatur, omnes viderunt. Nec vero negligenda ut factum est, altera morum Achillis

---

veterum locos et fabulas collegit. Tum Raoul Rochette (Antiquités greques du Bosphore Cimérien) de Achillis cultu in Ponto praeter aliquas veterum narrationes, duas Heliopoli inventas, quae per se jam illum cultum extra dubitationem ponunt, inscriptiones praebet. Nam in his ΑΧΙΛΛΕΙ ΠΟΝΤΑΡΧΗ legitur. Quarum alteram Clarke (travels cap. XXV, tom. I. pag. 621, 646 — 652) alteram R. Rochette ipse primus l. c. descripsit. Locum potissimum de Achillis cultu in Ponto vid. in Arrh. peripl. pag. 21, tom. I. ap. Hudson., ubi haec leguntur: νῆσος προκεῖται ἥντινα οἱ μὲν Ἀχιλλέως νῆσον, οἱ δὲ δρόμον Ἀχιλλέως, οἱ δὲ Λεύκην ὀνομάζουσιν (perperam enim Arrh. Leucam insulam ab Achillis dromo non separat.) ταύτην λέγεται Θέτις ἀνεῖναι τῷ παιδί· καὶ ταύτην οἰκεῖν τὸν Ἀχιλλέα. καὶ νεὼς ἔστιν ἐν αὐτῇ τοῦ Ἀχιλλέως, καὶ ξόανον τῆς παλαιᾶς ἐργασίας. — — καὶ ἐπιγράμματα τὰ μὲν Ρωμαϊκῶς, τὰ δὲ Ἑλληνικῶς — ἔπαινου τοῦ Ἀχιλλέως ἔστιν δὲ καὶ Πατρόκλου — et q. s. rel. de victimis Achilli ibid. mactatis, de sacris donis in templo ejus repositis, quibus adjunguntur quaedam admodum fabulosa et superstitiosa, et oraculorum memoratio in Leuce insula ab Achille editorum. cf. Peripl. Scyl. Caryandens. pag. 30 ap Hudson. tom. I. et ibid. fragm. pag. 11. — V. prae ceteris: mé-

natura, quam non minus distincte Homerus depinxit. Nam in eodem Achille apparet rudis et furens incredibili cupidine animus, studium honoris et iracundiae omnem modum excedens, ingenii duritia amoris et benevolentiae saepissime prorsus expers. Innumerabilia inveniuntur in Iliade ex quibus hoc intelligitur: nec non et illud, ab Homero hanc immanitatem improbari, neque ut quidam mire opinati sunt, efferri atque laudari. Audiamus enim Apollinem, deum sapientem certo ex Homeri, ut poetae judicio. (Il. XXIV, 39 sq.)

— ἀλλ᾽ ὀλοῷ Ἀχιλλῆϊ, θεοί, βούλεσθ᾽ ἐπαρήγειν,
ᾧ οὔτ᾽ ἄρ᾽ φρένες εἰσὶν ἐναίσιμοι, οὔτε νόημα
γναμπτὸν ἐνὶ στήθεσσι· λέων δ᾽ ὥς, ἄγρια οἶδεν,
ὅστ᾽ ἐπεὶ ἂρ᾽ μεγάλῃ τε βίῃ καὶ ἀγήνορι θυμῷ
εἴξας, εἶσ᾽ ἐπὶ μῆλα βροτῶν, ἵνα δαῖτα λάβῃσιν:

moires sur les Iles et la course consacrées à Achille dans le Pont-Euxin St. Petersb. 1827 in Actis Societ. Petropolit. quem libr. inspicere mihi non licuit. — cf. etiam Cic. d. nat. deor. III, 18. „Achillem Astypalenses insulani sanctissime colunt."

[illegible]
[illegible]

Audiamus Neptunum qui profecto apud Homerum severus et iracundus deus est. Il. XIV, 139 — 41. Audiamus Nestorem sapientissimum Achivorum dicentem (Il. IX, 63.

ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος!

quae si compares cum illis quae idem antea dixerat de Achille (Il. I, 255 sq. inprim. v. 277 sq.).

ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος — —
ἄλλοι τε Τρῶες — —
εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιϊν,

habebis reprehensionem illustrem et manifestam. Quid vero? Pater ipse Peleus nisi exploratum habuisset tam duri filium animi esse, non ejusmodi adhortatione in bellum proficiscentem admonuisset, qualis legitur Il. IX, v. 254 sq.

τέκνον ἐμόν, κάρτος μὲν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη
δώσουσ', αἴ κ' ἐθέλωσι· σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμὸν
ἴσχειν ἐν στήθεσσι· φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων·
ληγέμεναι δ' ἔριδος κακομηχάνου, — — — etc.

Atqui Jovis quoque, Martis feros mores acerbe vituperantis (Il. V, 890),

ἔχϑιστος δέ μοί ἐσσι ϑεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν·
αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε·
— — etc.

reprobrans de Achille, utpote qui Martis similis sit, judicium colligere licet. Praeterea autem facta ipsa Achillis dilucide loquuntur. Ut enim ipse foveat iracundiam et odium in Agamemnonem, precatur a Jove, *ut ad unum omnes Achivi gravi clade moriantur (Il. I*, 410*)*: in Achivis autem erat Phoenix, cujus de caritate in educando Achille lib. Il. IX, (v. 485 sqq.) *) luculentissimum exstat exemplum: tum Ulixes inter Achivos erat, Ajax denique, quos ipse amatissimos sibi viros nominat: **) nec sane

---

*) καί σε τοσοῦτον ἔϑηκα, ϑεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
ἐκ ϑυμοῦ φιλέων· ἐπεὶ οὐκ ἐϑέλεσκες ἅμ' ἄλλῳ
οὔτ' ἐς δαῖτ' ἰέναι, οὔτ' ἐν μεγάροισι πάσασϑαι,
πρίν γ' ὅτε δή σ' ἐπ' ἐμοῖσιν ἐγὼ γούνασσι καϑίσσας
ὄψου τ' ἄσαιμι προταμὼν, καὶ οἶνον ἐπισχών.
— — cet.

**) Il. IX, 197, 98.

mentiens ob morum quandam elegantiam: nam is est qui dicat (Il. IX, 312)

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Quid vero? Illud quod dixerat Achilles Il. I, 410, saepius repetit, nam legimus Il. XVI, 97

αἳ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον!
μήτε τις οὖν Τρώων θάνατον φύγοι ὅσσοι ἔασι,
μήτε τις Ἀργείων, νῶϊν δ' ἐκδύμεν ὄλεθρον·
ὄφρ' οἶοι Τροίης ἱερὰ κρήδεμνα λύωμεν.

Porro horrendum in modum Achillis immitis animus apparet Il. XI, 609 — 10. Consistit enim in nave sua et terribilem calamitatem Graecorum tranquille intuens: jam obsecrabunt, ait, et obtestabuntur me — at nullo modo ut auxilium ferat in mentem venit. — Multa alia enumerare possum ad hanc quam protuli de Achille sententiam probandam, quae ne sim longior in re aperta omittam. —

Hic igitur Achilles, Agamemnonis injuriam gravem gravissime ulcisci cupiens, secedit a pugna, atque immenso inde honore

et gloria illustratur: Nam carentes ejus auxilio Achivi acerbissima clade prosternuntur. Effulget tanquam sidus sole clarius, itaque omni gloriae dulcedine sitim immanem plenis haustibus explet. Sed repente omnia mutantur. De summo felicitatis fastigio omnino dejicitur. Patrocli morte vehementissimam cladem accipit. Hanc cladem autem ex Achillis illa ira proficisci infitiari non possumus. Achilles enim, quum victoria insignis Trojanorum sibi ipsi minari periculum videretur, roganti Patroclo ut auxilium ferat obsequitur. Tamen ut nihil mutaret propositi et odii in Agamemnonem, ipse in proelium non descendit, sed mittit Patroclum. Hunc vero tanta amicitia Homerus cum Achille conjunctum facit, ut certo, nisi Achillis omnes sensus gloriae et odii immensum studium obcoecatos tenuisset, in summa discrimina missus solus non foret. Mos enim erat illius aetatis pulcherrimus, ut a fortioribus amici minus valentes in proeliis tegerentur et defenderentur. Ita enim Ajax Teucrum caritate suavissima tuetur (Il. VIII, 271), ita

se servaturum Patroclum ejus patri Menoetio Achilles ipse promiserat (Il. XVIII, 324 sq.)

Ὢ πόποι ἦ ῥ' ἅλιον ἔπος ἔκβαλον ἤματι κείνῳ,
θαρσύνων ἥρωα Μενοίτιον ἐν μεγάροισι·
Φῆν δέ οἱ εἰς Ὀπόεντα περικλυτὸν υἱὸν ἀπάξειν — sq.

Patroclum vero ubi Achilles non praesidio suo orbatum in proelium misisset verisimillimum erat vivum rediturum fuisse, itaque mors Patrocli naturali nexu cum Achillis furore immani cohaeret. Qua de re si quis adhuc dubitet, Achillis ipsius judicium audiat (Il. XVIII, v. 98 sq.)

αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ ἔμελλον ἑταίρῳ
κτεινομένῳ ἐπαμῦναι· ὁ μὲν μάλα τηλόθι πάτρης
ἔφθιτ', ἐμεῖο δὲ δῆσεν, ἀρῆς ἀλκτῆρα γενέσθαι
— — —
οὐδέ τι Πατρόκλῳ γενόμην φάος, οὐδ' ἑτάροισι
τοῖς ἄλλοις — —
ὡς ἔρις *) ἔκ τε θεῶν, ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο,

*) Locus hic aptus videtur quo moneamus nos consentire non posse cum illa quam protulit Nitz-

καὶ χόλος, ὅστ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλε-
πῆναι·
ὅστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται, ἠΰτε καπνός·
ὡς ἐμὲ νῦν ἐχόλωσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων.
— —

Tum autem Il. XIX, 56 — 62:
Ἀτρείδη, ἦ ἄρ' τι τόδ' ἀμφοτέροισιν ἄρειον
ἔπλετο, σοὶ καὶ ἐμοί, ὅτε νῶΐ περ, ἀχνυμένω κῆρ,
θυμοβόρῳ ἔριδι μενεήναμεν εἵνεκα κούρης
— — —
τῷ κ' οὐ τόσσοι Ἀχαιοὶ ὀδὰξ ἕλον ἄσπετον οὖδας
— — cet.

Quam vehementi autem plaga Patrocli mors Achillem inflixerit, in aprico est positum.

---

schius (Anm. Bnd. 2, pag. XIII.) sententia: recte se habere et vituperandum non esse quod Achilles in Iliadis principio usque ad libr. IX. irascatur et a pugnando abstineat: atque eo tantum culpam suscipere Achillem, quod inde a libro IX. modum in irascendo excedat. Ad quae respondemus, Achillem ut loci supra allati docent (quibus adnumerari potest Il. IX, 427), etiam ante librum IX. valde modum excessisse, tum autem ad locum Il. IV, 440 — 44 provocemus. Ceterum Nitzschii de Iliadis argumento sententiam omnino probandam censemus.

Patroclus enim fuerat et summa amicitia Achilli colligatus, et excellentissimis virtutibus insignis. *) Quantum enim Achilles fortitudinis, tantum Patroclus bonitatis et caritatis fulgore elucet. Itaque tanquam epitheta perpetua sibi meruit ut diceret Homerus:

ἐνηέα τε κρατερόν τε

et illud: — ὃς πᾶσιν — ἠπίστατο ἤπιος εἶναι.**) Videmusque aegris gratissimam opem ferentem, nec re tantum, sed orationis quoque dulcedine (Il. XV, 393

ἧστό τε, καὶ τὸν ἔτερπε λόγοις, ἐπὶ δ' ἕλκεϊ λυγρῷ

φάρμακ' ἀκήματ' ἔπασσε μελαινάων ὀδυνάων:

Videmus solatio amabili moerentium jacentes animos excitantem. Briseis enim dicit (Il. XVIII, 287 sq.):

Πάτροκλέ μοι δειλῇ πλεῖστον κεχαρισμένε θυμῷ — —

*) Etiam Patroclum ut Achillem posteri divino cultu venerabantur. V. Pausan. III, 19, 11. Arriani peripl. ap. Hudson. pag. 21, tom. I.: „καὶ τὸν Πάτροκλον τιμῶσιν (nimirum divino cultu) σὺν τῷ Ἀχιλλεῖ ὅσοι τῷ Ἀχιλλεῖ χαρίζεσθαι ἐθέλουσιν."

**) cf. Il. XVII, 670, 671.

— σὲ τεθνηῶτα κιχάνομαι, ὄρχαμε λαῶν
— — ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί·
ἄνδρα μὲν ᾧ ἔδοσάν με πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
εἶδον πρὸ πτόλιος δεδαϊγμένον ὀξέϊ χαλκῷ,
τρεῖς δὲ κασιγνήτους, τούς μοι μία γείνατο μήτηρ,
κηδείους οἳ πάντες ὀλέθριον ἦμαρ ἐπέσπον.
οὐδὲ μὲν οὐδέ μ' ἔασκες ὅτ' ἄνδρ' ἐμὸν ὠκὺς Ἀχιλλεὺς
ἔκτεινεν, πέρσεν τε πόλιν θείοιο Μύνητος,
κλαίειν ἀλλά μ' ἔφασκες Ἀχιλλῆος θείοιο
κουριδίην ἄλοχον θήσειν, ἄξειν τ' ἐνὶ νηυσὶν
ἐς Φθίην δαίσειν δὲ γάμον μετὰ Μυρμιδόνεσσιν
τῷ σ' ἄμοτον κλαίω τεθνηότα, μείλιχον αἰεί.

Atque ipsius, quod maximum est, benevolenti animo precibusque Achivi a clade certissima revocantur. Dicit enim (Il. XV, 402):

σπεύσομαι εἰς Ἀχιλῆα, ἵν' ὀτρύνω πολεμίζειν.
τίς δ' οἶδ', εἴ κέν οἱ, σὺν δαίμονι, θυμὸν ὀρίνω
παρειπών; ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου.

Quae quum ita sint, graviori casu, quam Patrocli morte Achillem non potuisse percelli, consentaneum est. Quod satis etiam

ex immenso, per tot Iliadis libros decantato dolore elucet. Atque hoc acerbissimo casu Achillis sensus repente omnino mutantur. Omnes enim animi corporisque nervos ut indulgeat amicitiae et moerori, intendit, mortem ipsam post futuram *) Hectoris caedem sibi impendentem contemnit, gloriae et irae studium projicit, atque ut amicum ulciscatur *cum Agamemnone ipso repente in gratiam redit.* Hectorem Patrocli victorem caedit. Longum est rerum omnium persequi multitudinem, quas Achillem de Patroclo moerentem fecisse Homerus tradit. Id vero non negligendum, immanem aestum Achillis etiam hisce in rebus, quamvis honoris cupidine abscissa omnino et exstincta, nondum sedatum tacere: sed tanquam morbi vim pestiferam, quum ex alia corporis parte depulsa sit, aliam petere eodem cum impetu et immensitate. Immani enim vi saevientem Achillem ostendunt, ut alia taceam, Hector circa tumulum raptatus, duodecim illi Trojanorum juvenes in Patrocli funere

*) e. g. Il. XIX, 408.

mactati. Quum vero vis doloris sedata est, et infinita cupido exsatiata tacet, tunc omnia rursus mutantur. Achilles cruciatu illo, quem Patrocli morte acceperat, amissa in patriam redeundi spe, quia Hectore caeso mors propinqua imminebat — fractus ut ita dicam omnibus membris, mitiorem humanitatis animum induit. Hoc enim eo apparet, quod Priamo, ipsum infestissimi hostis patrem benevole excipiens, Hectorem mortuum reddit. Quam benevolentiam totus fere lib. Il. XXIV. testatur. Quis autem fuerat infestior Achilli Hectore qui Patroclum trucidaverat? Tamen reddit, quod eo majus est, quia se Hectoris cadaver volucribus et canibus traditurum Patroclo voverat,*)

---

*) Il. XXIII, 20 sq.

— — τὰ πάροιθεν ὑπέστην<br>
Ἕκτορα δεῦρ' ἔρυσας δώσειν κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι<br>
δώδεκα δὲ προπάροιθε — —

Il. XXIII, 179

Χαῖρέ μοι ὦ Πάτροκλε καὶ εἰν Ἀίδαο δόμοισίν<br>
πάντα γὰρ ἤδη τοι τελέω τὰ πάροιθεν ὑπέστην<br>
δώδεκα μὲν — —<br>
— — — — Ἕκτορα δ' οὔτι<br>
δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν ἀλλὰ κύνεσσιν.

adhuc autem recenti ob amicum dolore luget. Itaque in intimo animi recessu conversus apparet Achilles. Erga hostem enim jam illam, quam nostra religio praescribit caritatis benevolentiam ostendit idem qui paullo ante in proximos amicos infanda culpa peccaverat.

Ut vero clarius vim humanitatis in reddendo Hectore intelligamus, a consuetudine morum nostrorum paullulum recedamus. Et ea diligentius contemplemur, quae illis temporibus in adamatorum hominum morte lugentes sentiebant. Legitimi enim luctus, ad ipsum mortui corpus instituti, justae et solemnis sepulturae, admirabile pretium erat. Quod declaratur primum acerbitate certaminum, quae de mortuorum perinde ac de viventium corporibus pugnabantur. *) Deinde vero ex eo apparet, quod vitae amissae compensatio gravis a Jove ipso habetur si corpus a propinquis bene sepelitur. **) Quid vero? Tanti aestimatur corpus

*) Il. XVII, 412 — 23.
**) Il. XVI, 450 sq.

corpus mortui, ut Priamus, modo Hectorem ad sepulturam legitimam reducat, ipsi vitae non parcat. Adeoque hujus moris vis patuit, ut vitae sed quae a cognatis procul degeretur, mortem, modo justae sepulturae participem, anteponendam ducerent. Nam Hecuba (Il. XXIV, 748 sq.)

Ἕκτορ, inquit, ἐμῷ θυμῷ πάντων πολὺ φίλτατε παίδων!
ἦ μέν μοι ζωός περ ἐὼν, φίλος ἦσθα θεοῖσιν·
οἱ δ' ἄρα σεῦ κήδοντο καὶ ἐν θανάτοιό περ αἴσῃ.
ἄλλους γὰρ μὲν παῖδας ἐμοὺς πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς
πέρνασχ', ὅντιν' ἕλεσκε, πέρην ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
σεῦ δ' ἐπεὶ ἐξέλετο ψυχὴν — — etc.

Omitto Antigonam Sophoclis, omitto imperatores ab Atheniensibus *capite* damnatos ob neglectam sepulturam: haec enim Graeci moris vestigia, quum seriorum sint temporum, quodammodo tantum huc pertinent. Verum enim vero quam necessaria fuerit haec de mortuis sententia, id est quonam naturali cum ceteris illius temporis moribus vinculo cohaeserit, perquam facili

modo perspicitur. Solum enim superstitum solatium erat, ut luctuosa memoria animum exsatiarent, — τέρπεσθαι γόοιο — et apparet, hos homines, qui non valde a consuetudine oculorum animum sevocare didicissent, nullius rei magis cupidos esse debuisse, quam ut haberent lugentis memoriae adjumentum quoddam quod in conspectum et sensus caderet. Ejusmodi autem quod majus sit cogitari nequit, quam reliquiae corporis defuncti. Huc adde opinionem illam, inhumatis infeliciorem etiam quam orci sortem, vagis erroribus parari.*)

Dubitari igitur non potest, quin Achilles, quum Hectoris cadaver Priamo reddat, summo hunc quo poterat beneficio affecerit.

*Habemus igitur Achillem, virtutis gloria prope deum divisque carissimum: at eundem specimen ferociae et irae, quae dum juvenili ardore flammisque omnia delentibus effervescunt, se ipsas confla-*

*) *cf. Wachsmuth hellen. Alterthumskunde II, 1, 424.*

*grant et comburunt, ita ut ex cinere luctuoso caritas et humanitas effloreat.**)

Qua in re bene notandum, etiam hic inveniri, aliter quidem quam in historia Trojae expugnatae — comprehensam nimirum in ipsa Achillis persona, *victoriam bonae et cladem malae causae, vincentem humanitatem et victum immanem et inhumanum furorem.* —

Jam redeamus ad Jovem. Invenimus eum harum rerum moderatorem divinum, ita ut haec omnia ejus nutu et consilio instituantur.

Sed quum videamus multis hanc de Jove Iliadis opinionem offensioni fore,**)

---

*) Nitzsch Anmerk. 2 Bnd. pag. XVII — „erst die Anerkennung des menschlichen Looses nach des Priamos Einrede, und die Menschlichkeit gegen den Vater des Feindes bringt die Beruhigung. — — Im Ganzen ist zu beachten, daſs man den Gegenstand der Ilias erst dann richtig faſst, wenn man sagt sie behandle die Zeit des Zorns (tempora, discrimina irae) die Epoche von der ersten Ursache bis zu den letzten Folgen des Zorns." cf. etiam Nitzsch Hall. Literatzeit. 1831, Ergänzungsbl. p. 708.

**) Nitzsch Anm. Bd. I. pag. 11. „Unverkennbar waltet in der Odyssee die Idee einer göttlichen

plenius de eadem dissertate in animum induximus.

Primum, a Jove Achilli irato gloriam ex Trojanorum victoria parari, consentaneum est, — neque minus, eundem Jovem Patrocli morte Achilli incredibilem illum luctum parare, quo tantas res in Iliade moveri videmus. cf. Il. I, 1 sq.

Μῆνιν ἄειδε, θεά, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος
Οὐλομένην, ἣ μυρί᾽ Ἀχαιοῖς ἄλγε᾽ ἔθηκε,
πολλὰς δ᾽ ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
ἡρώων, — —
— — Διὸς δ᾽ ἐτελείετο βουλή·

tum Il. XVI, 246 sq. ubi Juppiter nutu ac renutu Achillis voto respondet. Achilles enim precatur:

Ζεῦ ἄνα — —
— — ἐπεί κ᾽ ἀπὸ ναῦφι μάχην τ᾽ ἐνοπήν τε δίηται,
ἀσκηθής μοι ἔπειτα θοὰς ἐπὶ νῆας ἵκοιτο [Πάτροκλος.]
— — τοῦ δ᾽ ἔκλυε μητίετα Ζεύς·

Gerechtigkeit weit mehr vor als in der Ilias voll launenhafter partheiischer Götter."

τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον
δ' ἀνένευσε,
νηῶν μέν οἱ ἀπώσασθαι πόλεμόν τε μάχην τε
δῶκε, σόον δ' ἀνένευσε μάχης ἐξ ἀπο-
νέεσθαι.

Tum Il. XVI, 685 sq.

Πάτροκλος — —
ἦ τ' ἂν ὑπέκφυγε Κῆρα — —
ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος ἠέ περ ἀν-
δρῶν — —

Ceterum Juppiter est qui (Il. XXIV, 104) Achillem post Hectoris mortem admoneat ut corpus ejus reddat Priamo, quo efficitur ut Achilles statim reddere corpus Hectoris (v. 140) constituat. Ex quo tamen Achillis obsequio cave extundas, omnino ut Juppiter ad humanitatem informaret Achillem non Patrocli morte, sed tantum ut Thetidem misisset, opus fuisse. Habeo enim quae contra moneam. Primum Homeri dii nunquam in regendis mortalium rebus miracula edunt*) (coll. Od. XXII, 236), sed

---

*) Nitzsch Anm. 2 Bd. pag. XXXIX. „Der damalige Glaube — — sah im Ganzen in den Göt-

id tantum efficiunt quod naturalis rerum ordo et nexus admittit. Verum enim vero miraculum sane quidem fuisset, si Achilles illo cum animo, quem ante Patrocli mortem prodit, tamen Priamo supplicanti, humanissima mansuetudine morem gessisset. Porro monemus, neutiquam Achillem obsequi libro nono Jovis filiabus (Λιταί) Precibus,*) quibus secundum Homeri opinionem non humilior inter deos locus est quam ipsi Thetidi quae perfectam numinis personam sustinet.**)

Restat tamen adhuc quaestio, num Homerus Jovem suum voluerit ea vi, quam hic in Achillis facta exserere perhibetur, innuere id potissimum agentem, ut humanus mitisque Achilles fieret. Respondemus, nihil quidquam inveniri in Homero huic sententiae quod contradicat, nam illi duo loci Il. XIII, 850 et Il. XV, 57 nihil nisi Jo-

tern mehr beirathende und beihelfende, als heftig eingreifende Mächte."

*) Il. IX, 502 sqq.

**) coll. Nitzsch Anm. Bd. 1, pag. XIII. sqq.

vem, ut Achilles inde honorem caperet Trojanis victoriam dedisse enuntiant, Jovem autem hic non moliri finem alium ad quem haec omnia tendant, id quidem minime dictum est. Tum vero utique compluribus locis Juppiter illum ipsum quem diximus finem revera spectasse magis minusve clariore allusione significatur: cf. Il. XV, 65, ubi Achillis ira et Patrocli mors a Jove conjunctae cogitantur: idem fit Il. VIII, 473 sq. atque Il. I. pr. Loco autem Iliad. XIX, 340 demonstratur quam probe Juppiter noverit dolorem Achilli morte Patrocli commotum. Tum Jovis ipsius dictum Il. XXIV, 110:

αὐτὰρ ἐγὼ τόδε κῦδος Ἀχιλλῆϊ προτιάπτω
αἰδῶ καὶ φιλότητα τεὴν μετόπισθε φυλάσσων,

ad illum honorem quo Achillem in Iliadis principio ornari videmus, alludere videtur. Sed omnibus his indiciis parum probari sine hac conclusione quae necessaria nobis videtur, concedimus. Satis clare enim Homerum in Achillis rebus illam victoriam bonae causae de qua supra loquuti sumus, describere, itaque variis Achillem fortunae

casibus ad humanitatem ductum, proponere voluisse, demonstratum a nobis arbitramur. Eam autem quam sibi habere Homerus de Achillis rebus informarat intelligentiam, Jovi quoque tribuere debebat, dummodo, quoniam usquequaque Jovem prudentissimum et sapientissimum deum declarat, constare sibi vellet. cf. Il. XIII, 631, 632:

Ζεῦ πάτερ, ἦ τέ σέ φασι περὶ φρένας ἔμμεναι ἄλλων,
ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν· — —

Il. XV, 461 Διὸς πυκινὸς νόος. Il. I, 175. Od. XIV, 243 μητιέτης, quod cognomen saepissime invenitur. Il. XVII, 339 ὕπατος μήστωρ — Il. I, 498; Od. XIV, 235 et multis aliis locis εὐρύοπα Ζεύς — Il. XXIV, 88 ἄφθιτα μήδεα εἰδώς. Quibus cum locis conferatur illud in principio Il. v. 512 ἀλλ' ἀκέων δὴν ἧστο, — — Sed quaerat forte aliquis, quid sit quod ita rem suam Homerus instituerit, ut quum in prima Iliadis parte de Jovis Achillem honore afficiendi voluntate admodum dilucide loquatur, hanc quam jam exposuimus de Jove opinionem ratiocinando tantum assequi

pessimus. Quod cui mirum videatur ablegamus ad ea quae pag. 30 sq. sunt exposita, putamusque ibidem dicta praesertim ad Homeri de Achillis sorte narrationem pertinere.

Ceterum animadvertimus, quamvis in his rebus permagna, et deorum ceterorum tantopere utens obsequio Jovis sit potentia,*) nihilo tamen minus tantum abesse ut omnipotens ab Homero ille describatur, ut servientem quodammodo aliis diis videamus. Nam Junoni paret, et Somno et cingulo Veneris. Quamquam in hac re non praetermittendum, valde exiguum quoddam esse quod Jovis potentiae Junonis illo dolo desumitur.**) Prorsus enim nihil ut irritum

*) E permultis locis hos tantum afferimus: Il. I, 540 sq. VIII, 5 sq. VIII, 399, 427, 432, 477. XI, 75 — 84.

**) Il. XIV, 153 sq. — Ceterum meliorem huic loco lucem offusum iri putamus, si de illis in Homeri fabulis de diis tam saepe et tam acerbe vituperatis rebus, quae in Od. l. VIII. de Marte et de Venere leguntur, hic nostram sententiam protulerimus. Nam si ille locus, jure ut videtur tam veteribus quam recentioribus nonnullis obloquentibus (v.

[illegible] quod Homeri [illegible] hoc dicto effi-
citur: — [illegible] quoniam qui-
[illegible] — illam

---

[illegible], quum [illegible] sit, earum quae ad [illegible] sunt (v. [illegible]), [illegible] nulla placet. Nam [illegible] Martem et Venerem, quorum adulterium [illegible], in infimis quidem ordine deorum positos esse. A sapientioribus enim valde improbantur. Dein Jupiter (Il. V, 890) in Martem invehens:

ἔχθιστος δέ μοί ἐσσι θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν
αἰεὶ γάρ κ. τ. λ.

atque Il. V, 761 idem ἄφρων a Junone nominatur. Dicit autem Homerus (Il. XXIV, 30) de Venere (et Alexandro)

τὴν δ' ᾔνησ' ἥ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν·

quibuscum confer Il. V, 331 Κύπρις — ἄναλκις θεός. Il. V, 348. Et iidem quoque sunt Mars et Venus qui, quod nulli alii deorum contigit, ab humana virtute victi narrantur (V. quae Il. l. V. de Diomede dicuntur). Deinde autem haec admoneo. In quibus fieri potest ut errem, dicam tamen quae sentio. Quod inter deos non nisi ab inferioribus personis talia peccantur, sin autem sunt admissa, tantum belli et caedis, quanta Helenae et Clytaemnestrae adulterio conflatur, tempestatem non colligunt, aetherene civitatis praestantiam ostendit. — Ceterum illo Iliadis loco (l. XIV.), voluptas ipsa, quod magnum est, ita ut nomini, me quidem judice,

ipsam Jovis imbecillitatem, causam fieri: ut potentia ejus in splendidissima luce cerneretur. Quod nemo infitiari potest, qui, conamina artificiosissime ad Jovis consilia discutienda incepta, ut primum e somno experrectus res suas curare rursus incipit, quam repentina clade in irritum cadant, secum reputaverit. Cf. Il. XV, 1 — 261 ubi qua ratione — Junone ipsa sedulo adjuvante — restituerit Juppiter ea quae Il. l. XIV neglexerat, copiose narratur: atque Juno ipsa dicit, postquam Jovis consilia dirimere frustra tentavit, v. 104: νήπιοι οἳ Ζηνὶ μενεαίνομεν ἀφρονέοντες! — —

Nunc, omissa reliquorum, quae in Iliade

---

libidinis stimulus esse possit, cum excelsitate et sublimitate conjungitur. Omnino autem dicendum, generandi et creandi vim cum idea Jovis necessario conjunctam esse, molestumque videri, quanta judicandi temeritate in illo quod de Jovis in Junonem amore narratur, imbecillitas et mollitia seriorum temporum obscoenitatem invenerit. Atque contendimus utique, si Jovis vim genitalem Homerus describere imagine debebat, nos nullam aptiorem et sublimitate Jovis digniorem videre, quam illam Homeri. —

animum nostrum defigere possint, rerum permutatione. ad Odysseam transimus. Quo in carmine Ulixem videmus virum omnibus virtutibus ita ornatum, ut summae cujusdam perfectionis imaginem exhibeat. Atque neminem heroum suorum Homerus tanto cum favore depinxit quam Ulixem. Hic Ulixes, Ilii expugnator, qui cujusque generis virtutum gloria in Trojano bello tanquam deus inclaruit, in universum summa sapientia, prudentia, fortitudine, et erga deos pietate ubique excellit. Quibus de virtutibus, ne longiores simus, illum tantum locum afferimus, ubi quid sentiat de Ulixe Juppiter ipse profert (Od. I, 66, 67).

πῶς ἂν ἔπειτ', inquit, Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην,
ὃς περὶ μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν, πέρι δ' ἱρὰ θεοῖσιν
ἀθανάτοισιν ἔδωκε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν;

Quod quidem genus venerandorum deorum despici non debet. Nam sacrificia Graecorum continentur fere in symbolico quodam alloquendi deos modo, quo opinionem, se pendere a diis, eorumque potentiae, bene-

volentiae ac praestantissimae cujuscunque naturae recordari, solemniter declarare solebant. Itaque illud περί δ' ἱρὰ cet. nihil aliud est nisi laus pietatis in universum.*) Ceterum quantum pietatis pretium fuerit illis temporibus, vide etiam apud Platnerum pag. 37 sq. Hic autem Homeri Ulixes cum illo seriorum poetarum confundi nullo modo potest. Seriores enim fabulae de Ulixe, quamvis multifariam fortasse cum Homeri poesi extrinsecus quodammodo cohaererent (ut Welcker Aesch. Tril. pag. 464 sq. — a male interpretantibus illud ἔξαλος Od. IX, 131; XXIII, 281 monstrosas istas seriorum de morte Ulixis fictiones profectas ostendit), — tamen hae seriores fabulae, ubi mores Ulixis dedecorare student, si rem causamque respicias, a sublimi Homeri poesi alienissimae sunt. Nam ab ejusmodi fictionibus Ulixis obtrectatricibus, ut e. g. de hujus

---

*) cf. auctor. vitae Homeri (in Th. Gale opusc. mythol. phys. et ethic.) pag 338: ἐν οἷς ὁρῶν ἐστιν ὅτι ἐπῄνεσε τὸν ἄνδρα, πρῶτον ἐπὶ τῷ νοῦν ἔχειν, δεύτερον δὲ ἐπὶ τῷ σέβειν θεούς.

contra Palamedem injuriis,*) de fabula Eurip-pos,**) de Philoctete ferebantur, ne minima quidem quidquam in Homero societate contingitur. Ceterum Homerum non ejusdem ac Sophoclem, qui Odysseae Ulixem, ubique sapientem et benevolum in sordide fraudulentum, hoc nisi malo dolo prudentem mire detorsit, fuisse sententiae, duobus quoque Odysseae et Philoctetae locis inter sese comparatis docemur. Nam Od. III, 127 — 130 Nestor [illegible]

— [illegible] ἐγὼ καὶ δῖος Ὀδυσσεύς, inquit,
οὔτε ποτ' εἰν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζομεν οὔτ' ἐνὶ
[illegible] βουλῇ,
ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε, νόῳ καὶ ἐπίφρονι
[illegible] βουλῇ [illegible] —
φραζόμεθ' Ἀργείοισιν ὅπως ὄχ' ἄριστα γένηται.

Apud Sophoclem contra Philoctetes (v. 422, 423) [illegible]
Νέστωρ ὁ Πύλιος [illegible] οὗτος γὰρ τά γε [illegible]
Κείνων (Ulixis et Diomedis v. 417) κάκ' ἐξή-
ρυκε βουλεύων σοφῶς.

---

*) V. Paus. X, 31. Heine exc. IV. ad Aen. lib. II.
**) V. Corp. Script. eroticor. graec. ed. Franc Passow 1824, tom. I., pag. 5.

Sed ad propositum redeamus, seriorumque commentis omissis, id quod ex Homero hauritur teneamus. Is igitur, quod satis inculcari mentibus non potest, omni non fortitudine et calliditate solum, sed bonitate quoque et benevolentia Ulixem praeclarum fecit.

Ab hoc igitur Ulixe res gestae in Odyssea haec narrantur. Bello Troiano finito in patriam redire nititur, nec tantum ut natali terra, regno, domo, dilectorumque suorum societate rursus fruatur, sed etiam ut hoc sibi amore coniunctos a crudeli et horrenda procorum Penelopae vexatione liberet. Etsi enim non nisi colloquio cum Tiresia (Od. XI.) certum de horum petulantia nuntium audiverit, hanc eum in priore erroris parte, secundum illius aetatis vim et feros mores (v. Il. XXII, 487 sq.) suspicari saltem potuisse, consentaneum est.

Quam sublimis autem et excelsus sit hic finis quem Ulixes persequitur, postquam primum patriam Ulixis, et praesertim personas ibidem viventes ad quos reverti et quos liberare volebat — amor enim in pa-

triam et in suos per se tam exigui pretii est, ut nisi digni hi sint hoc amore, vitium potius quam virtus sit habendus — tum autem malam conditionem illam ex qua liberare suos cupiebat, contemplati fuerimus, apparebit.

In patria igitur Ulixis minoris momenti est pulchritudo montium et saltuum natalis terrae, ob infantiae memoriam divina quadam dulcedine alliciens animos optimi cujusque, minoris momenti est imperium in Graeci nominis homines: summum locum ibi tenent homines Ulixi caritatis vinculo obstricti. Effulget in his prae ceteris Penelopa uxor (Od. VIII, 410), qua quidem praestabilius quidquam inveniri haud facile queat (Od. XXI, 105 — 110). Suspicere enim in ea licet quasi lumen quoddam fidei et caritatis, *) nam per multos annos similes labores sustinet domi, quam ille experitur foris. **) Deinde prudentiam ejus animadvertas in procis importunissimis depel-

*) Od. XVIII, 200 — 204.

**) Od. XXIII, 300 — 308; 350.

depellendis. Sicuti enim Ulixes in Cyclopis antro non servari potuisset fortitudine sola, sed prudentia et dolo indigebat, sic Penelopae non fidei constantia solum, sed calliditate et consilio opus erat. Nec vero despicias dolum illum telae texendae et rursus resolvendae. *) Mira enim quaedam vis inest in adversario tergiversatione fallendo, valetque saepissime quantum perfecta victoria. Quod in omnibus bellis videmus. Nec putemus verisimile non videri, tam minuta re procos falli potuisse. Nam nostro minuta quidem foret tempore. Illo satis magna. Mulierum enim plurimum texendo consumebatur otium, eratque haec occupatio summae artis et ingenii. In universum autem laudatur consilium Penelopae in ducendis procis, ab his ipsis, nam dicunt: (Od. II, 91 sq.):

πάντας μέν ῥ' ἔλπει, καὶ ὑπίσχεται ἀνδρὶ ἑκάστῳ,
ἀγγελίας προϊεῖσα· νόος δέ οἱ ἄλλα μενοινᾷ,

et Od. XXIV, 125:

---

*) Bis haec res narratur ab Homero Od. II 94 — 110 et Od. XXIV, 128 sq.

ἡ δ' οὐδ' ἠρνεῖτο στυγερὸν γάμον, οὔτ' ἐτελεύτα,
ἡμῖν φραζομένη θάνατον καὶ Κῆρα μέλαιναν·

Qui vero opportunius amatores permolestos, eosdemque vi et armis imminentes, repellere potest mulier formosa et amabilis? — Ac disertis quoque verbis proci laudant Penelopae prudentiam (Od. II, 121)

Τάων αἵ πάρος ἦσαν εὐπλοκαμῖδες Ἀχαιαί,
Τυρώ τ' — — —
Τάων οὔτις ὁμοῖα νοήματα Πηνελοπείῃ
ᾔδη — —

Tum Od. XVIII, 248 sq.

Sed de prudentia hactenus. Caritatem in filium adspicias: cui quum audit a procis necem parari, quantis doloribus cruciatur, quanto autem gaudio exsultat, ut salvum reducem videt! Adde morum suavitatem et dulcedinem, gratiam omnis sermonis et actionis, mitem in famulas, benevolum in humiles mendicos *) animum, adde denique ipsius splendidam istam pulchritudinem, qua Homerus Veneri ipsi parem celebrat. **)

*) Od. XIX, 326 — 334.

**) Od. XVII, 37. XIX, 54.

Sed ad majora redeamus. Manifesto Penelopa et Clytaemnestrae et Helenae, celeberrimis illius temporis feminis opponitur. Helenam enim ab Homero non optime laudari, legens ista (Od. IV, 261)

— ἄτην δὲ μετέστενον, ἣν Ἀφροδίτη.
δωχ', ὅτε μ' ἤγαγε — — —

et illa (Od. IV, 274) quae sunt de equo Trojano, facillime quisque intelligeret, etiam si Socrates *) popularem opinionem istam non traderet, Homerum ob convicia in Helenam coecum factum fuisse. Quid vero dicam de Clytaemnestra? Cujus scelestissimae Agamemnon cum Penelopa comparationem illam instituit in inferis, admirabili modo compositam ad animos movendos: **)

— — ἤτοι ἔφην γε
ἀσπάσιος παίδεσσιν ἰδὲ δμώεσσιν ἐμοῖσιν,
οἴκαδ' ἐλεύσεσθαι· ἡ δ' ἔξοχα λύγρ' εἰδυῖα
οἷ τε κατ' αἶσχος ἔχευε — —
(v. 443.) ἀλλ' οὐ σοίγ', Ὀδυσεῦ, φόνος ἔσσεται ἔκ τε γυναικός·

*) Plato in Phaedro. c. IV.
**) Od. XI, v. 429 sq.

λίην γὰρ πινυτή τε, καὶ εὖ φρεσὶ μήδεα οἶδε
κούρη Ἰκαρίοιο, περίφρων Πηνελόπεια.

At in eandem Penelopae splendidam laudem iterum Agamemnon in fine Odysseae (XXIV, v. 120 — 202) revertitur. Comparandi etiam sunt loci Od. I, 36. III, 229 — 235; 262 — 276; 310.

Seriores autem eadem qua Ulixem etiam Penelopam gloriae detrectatione, contradicentes Homeri fabulis, dedecorarunt. Quae in pejus mutatio ad incredibilem, cui simplicitatem et candorem Homeri plane in contrarium convertere vel maxime placebat, nequitiam temporis decursu adolevit. Ut enim pessimam seriorum fictionem afferam: Lycophron absente Ulixe Penelopam ex amore omnium procorum, Pana peperisse narrat. *) En tibi admirabilem grammatici

*) v. 772 (coll. schol. ad Theocrit. I, 3, 123; Serv. ad Aen. 2, v. 43). Lycophronis ille error fluxisse videtur ex ea fabula, Pindaro quoque nota (Serv. ad Virg. Georg. I, 16), quae Apollinis et Penelopae filium Pana referebat, quae tamen Penelopa nympha quaedam, non Ulixis uxor videtur fuisse, si Nonnum (Dionys. 4, v. 87) respicias.

eruditionem, scilicet opportune, si diis placet, voce πᾶς quid significetur, memoris! Tantum igitur profecisti, bone Homere, Penelopae tribuendo castitatem summam!

Telemachus vero et amore in patrem, et prudentia et fortitudine insignis est; illaque caritate qua et Nestor sapientissimus et Menelaus heros eum excipiunt, vel maxime commendatur. Et disertis verbis sic Nestor de eo: (Od. III, v. 125)

— — οὐδέ κε φαίης
ἄνδρα νεώτερον ὧδε ἐοικότα μυθήσασθαι.

Cf. ceterum de Telemacho Minervae verba Od. XX, 35: — atque Od. XIV, 175, XVIII, 404. VIII, 404,

Quid autem dicam de Laerte patre? Qui, quum ceterorum virtus in agendo appareat, ipse moerendo Ulixe, quae est ejus senectus, caritatem summam ostendit. Nam omnes ejus vires in luctum abierunt. Mater autem Ulixis tam vehementi et ardenti animo filium lugebat, ut dolore intabescens moreretur. Quarum personarum in ordine venerando dignissimus qui adnumeretur Eumaeus, servus ille fidelis, constantissimo

in dominum Ulixem amore perseverans (Od. XXI, 221 — 227). In quo describendo tam longus tamque praeclarus est Homerus.

Omnes vero illae personae, summo amore dignae a procis vexatoribus acerbis, simis absente Ulixe cruciantur. *)

Hoc enim tempore violentia immani praevalentes, dominationem molestissimam in Ulixis domum exercent: nihilque iis curae est, nisi ut omnem justitiam et deorum vindictam eludentes, alienum regnum affectent, aliena bona profundant, dominum horum justum ubi lasciviis suis obsistere incipit trucidare instituant, alienam uxorem vi arripiant. Haec sunt maxime insignia lineamenta eorum quae a procis perpetrantur: quorum ad nequitiam vividissimis coloribus depingendam Homerus mille alias levioris notae actiones dictaque eorum effundit.

De magnitudine et sublimitate illius finis quem Ulixem proposuisse sibi videmus hactenus. Jam constantiam et consilium

*) Platner pag. 56 sq.

Ulixis in hoc fine persequendo si contemplamur, non possumus non in hisce quoque magnum aliquod et excelsum agnoscere.

Summa enim admiratione dignum, quanta arte Homerus doloris laborisque humani omne mare quodammodo exhauserit, ut Ulixem in tolerandis superandisque doloribus et laboribus fortem ostendat. Inspiciamus autem e plurimis quae exstant, gravissima tantum istius fortitudinis exempla.

In insula Ogygia tantae pulchritudinis, ut ea dii immortales ipsi summe delectarentur ut Mercurius, (Od. V, 63 — 76) Ulixes retinebatur a Calypsone nympha, quae majestate divina ornata, summo in eum amore ita flagrabat, ut si conjux fieret, immortalitatem polliceretur (Od. V. pr. tum V, 212 — 213). Obire diem supremum et in inferis versari quam esset luctuosum, is certe noverat, qui ibidem viderat Achillem, superbissimum Graecorum ita conquerentem (Od. XI, 487 sq.):

μὴ δή μοι θάνατόν γε παραύδα φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ·

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ

ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν! —

Attamen maluit mortalium sortem explere, maluit omnia in Oceano et in terra formidulosa subire, id unum agens ut in patriam rediret suosque servaret. Adde constantiam illam in Circae poculis, in Sirenum vocibus, in tot periculosis per mare jactationibus: adde illud in fico (Od. XII, 432 sq.: αὐτὰρ ἐγὼ ποτὶ μακρὰν ἐρινεὸν ὑψόσ' ἀερθείς, τῷ προσφὺς ἐχόμην, ὡς νυκτερίς — etc.): adde famem illam permagnam, quam depellentes sociorum turba reditum perdiderunt, Ulixes autem non toleravit solum sed ita ut ne ingemisceret quidem. *) Praeclarissimam palmam vero, de mea sententia, in ultima erroris parte sibi meruit. Tam diu enim per mare et omnia discrimina jactatum urbs amabilis Phaeacum retinere non potuit. Tranquillam et omnibus deliciis affluentem vitam omisit, omisit summam caritatem qua Alcinous totaque

*) Od. XII, 260 — 419.

ejus civitas et domus eum amplectebantur,*) ut rursus maris periculis se confideret, nescius utrum jam brevi rediturus esset, an per decem alies annos nova pericula subiturus. Prudentia autem et calliditate quantum Ulixes in persequendo fine adjutus fuerit, quum apertissimum sit, exemplis demonstrare facile supersedemus.

Is igitur est finis quem Ulixis sibi proposuit, ea est via qua ad scopum suum pertendit. Hunc autem aeque ac illam ex praeclaris istis virtutibus a Jove in Ulixe laudatis (v. pag. 60) tanquam e fonte et origine suo profluxisse, nobis necessario confitendum videtur. Ex divino enim ingenio, ex summa animi strenuitate, ex summa sapientia et benevolentia Ulixis — quae omnia comprehenduntur his verbis:

---

*) Od. VII, 311 sq. Alcinous dicit ipso die quo advenerat Ulixes:
Αἲ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον!
τοῖος ἐών, οἷός ἐσσι, τά τε φρονέων, ἅτ' ἐγώ περ,
παῖδά τ' ἐμὴν ἐχέμεν, καὶ ἐμὸς γαμβρὸς καλέεσθαι
αὖθι μένων· οἶκον δὲ ἐγὼ καὶ κτήματα δοίην
αἴ κ' ἐθέλων γε μένοις· — —

Ὀδυσῆος θείοιο — ὃς περὶ μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν, — ut id quod persequi Ulixem videmus, eligeret, et ea qua videmus via progrederetur ortum est. Idem autem originem traxit quoque ex Ulixis pietate in deos (πέρι δ' ἱρὰ θεοῖσιν ἀθανάτοισιν ἔδωκε — est). Nam summa ut videmus ex Odyss. l. XXII, v. 335 sq. reverentia Ulixes *Jovem* ἑρκεῖον, domi et fundi patronum colebat, itaque sua in hunc pietate ut quae huic grata essent, perficeret, adduci debebat. *) Atque in universa Ulixis agendi ratione apparet, quantum perpetuo sese convertens precando **) ad deos adjuvetur. Ex Homeri saltem sententia, ἐσθλὸν γὰρ, Διΐ, ait, χεῖρας ἀνασχέμεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ. Il. XXIV, 301; v. etiam Il. XVII, 498.

Id autem Ulixes, ad quod labore con-

---

*) Nec opponatur minoris hunc locum de Jove ἑρκείῳ momenti esse quia semel tantum in Homero de hoc Jove ἑρκείῳ sermo sit. Nonne enim semel sat est? Vitiosa abundantia foret, si Homerus quod semel dicendo satis ostendere poterat, decem locis repetiisset.

**) E. g. Od. XII, 334; VII, 331; VI, 324 sq. —

nixus est, penitus consequitur. Domum revertit, liberat suos a procis, in tranquillam regni sui gubernationem redit. Promissam ceterum habet a diis in futurum vitae decursum beatitudinem usque ad senectutem. Eo autem quod Ulixes ad propositi impetrationem pervenit, proci, temeritates suas capite luentes perduntur: atque omnino dicendum, hanc interfectionem procorum aeque gravem rem in Odyssea esse quam illud quod Ulixes finem suum contingit. *)

*) In Odyssea sunt qui putent (e. c. Platner pag. 53) cardinem rei verti in capitali procorum poena, quibuscum consentire non possum. Omnino cum Greg. G. Nitzschio facio (Anm. Bd. 2, pag. XXXVI.) sententiam suam his verbis enarranti: „nicht des Odysseus Rückfahrt von Troja, sondern seine Heimkehr nach Ithaca, und der Kampf und Sieg, durch den er sich Gattin, Haus und Königthum wiedergewinnt, sind der Hauptgegenstand dieses Epos;“ at quod idem dicit (Bd. I, pag. XI.) — „die Haupthandlung des Gedichts ist der Frevel der Freier und die Rache durch den heimkehrenden Odysseus“ — minus placet. Ceterum non poenam procorum summam Odysseae esse, hujusce quoque finis testatur, non enim hanc poenam, sed Jovis qua bellum inter Ulixem et Ithacenses sepelitur,

Ceterum res quae cum his duobus ex gravitatis ratione comparari vere possit, in Odyssea invenitur nulla.

Quae quum ita sint, non credimus jure Homerum dici posse illam procorum poenam, aut hoc Ulixis, si velis, praemium laborum, sejunctim, sed potius *duas has res conjunctas posuisse summam Odysseae, eam quoque talem, per quam celebretur bonae causae de mala victoria.**) Et quidem modo duplici. Primum enim proci ob vitam dissolutam ac turpem perduntur — Ulixes *contra,* dum ingenua fortitudine excelsum finem appetit, votorum suorum prorsus compos fit. Tum vero ita res est instituta, ut *ipse* Ulixes, qui per-

gratiam continet: — quod bellum Ulixes ut ultimum suum laborem tantopere metuerat. Conf. etiam locos huc facientes Od. XIII, 42, 43; I, 13; XI, 160; VIII, 410; IX, 34; V, 210. —

*) Primaria Odysseae sententia nobis non ea videtur quam profert Nitzschius (Bd. 2, pag. XXXIX): — „der Grundgedanke des Gedichts — die Menschen leiden was sie verdienen" — sed potius haec: homines et affliguntur iis malis, et fruuntur iis bonis quae sibi conveniunt.

sonam quandam justi et recti agit, procos, qui personam quodammodo mali principii sustinent, vincat et pessumdet.

Quod attinet autem ad vim Jovis in hac bonae causae victoria quam in lucem protulimus paranda, utique haec vis gravissima ab Homero est descripta.

Primum enim Juppiter se suo ipsius stimulo*) id spectare, ut rerum Ulixis ob divinam ejus indolem curam habeat, *dictis brevibus illis quidem, sed quae multa et egregia contineant*, et quae vel maxime deceant numen supremum, in principio Odysseae ipse ostendit. (Od. I, v. 65 sq.)

Τέκνον ἐμόν, inquit, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;
Πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην;
Ὃς περὶ μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν, πέρι δ' ἱρὰ θεοῖσιν

*) Nitzschii sententiam Anm. Bd. 2. pag. XXXIX: „Immer ist es Athene die des Odysseus Heimkehr betreibt, Zeus nur der Einwilligende". — probare non possum.

Ἀθανάτοισιν ἔδωκε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν. *)

Tum haud paucis locis hisce quae sequuntur, Ulixis reditus et victoria de procis a Jove pendere perhibetur. Od. I, 379; II, 144; XV, 522; XVI, 260; XVII, 51, 597; XXIV, 472—485; XXI, 200; *XXIII*, 140; *XXIV*, 163, 350; IV, 173; V, 409; VII, 331; VIII, 465; IX, 38; XII, 215, 445; XIII, 320; XXI, 410 — 415; XIII, 133 sq. ubi Neptunus:

— — νόστον δὲ οἱ οὔποτ' ἀπηύρων πάγχυ, ἐπεὶ σὺ πρῶτον ὑπέσχεο καὶ κατένευσας

Od. XX, 42, 98 ubi Ulixes precatur:

Ζεῦ πάτερ, εἴ μ' ἐθέλοντες ἐπὶ τραφερήν τε καὶ ὑγρὴν

ἤγετ' ἐμὴν ἐς γαῖαν, ἐπεί μ' ἐκακώσατε λίην, φήμην τίς μοι φάσθω ἐγειρομένων ἀνθρώπων

*) V. Od. XIX, 363 unde clarior lux his verbis Jovis offunditur. Ceterum videmus ex hoc similibusque locis — e. g. Il. II, 375; Il. XIX, 270; XVI, 400; Od. XIV, 366, — non omnibus fidem habendam, quae Homerus hunc vel illum de Jove dicere facit.

ἔνδοθεν· ἔκτοσθεν δὲ Διὸς τέρας ἄλλο φανήτω.
Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος· τοῦ δ' ἔκλυε μητίετα
Ζεύς·
αὐτίκα δ' ἐβρόντησεν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου
ὑψόθεν ἐκ νεφέων· γήθησε δὲ δῖος Ὀδυσσεύς,
φήμην δ' ἐξ οἴκοιο γυνὴ προέηκεν ἀλετρίς. —
**Tum autem, quamvis Ulixes ipse summis viribus ut votorum suorum compos fiat, enitatur, quamvis Minervam saepius quam ullum alium deum Ulixis res curantem videamus, quamvis et alii dii ut Mercurius (Od. X, 277) et Leucothea (V, 333) Ulixi auxilium ferant, quamvis interdum gubernatio rerum Ulixis ad deos in universum referatur (Od. XXIV, 350, 400, 442. XXIII, 258; XXI, 213, 203 sqq. XIII, 321. XI, 132, 23, 280, 331. I, 17. XII, 334. XIV, 39, 61. XV, 328), *tamen Juppiter caput administrationis rerum Ulixis esse dilucide exponitur. Ad finem enim res Ulixis, antequam Juppiter annuerit, perduci nequeunt.* V. Od. l. I. pr.; l. V. pr.; l. V, 99,*)**

---

*) Ζεὺς ἐμὲ ἠνώγει δεῦρ' ἐλθέμεν οὐκ ἐθέλοντα

135 — 140,*) 145, 150. — Huc adde, Jovi ut ἑρκείῳ *cui Ulixes multum sacrificaverat*: (Od. XXII, 335), ut regii imperii auctori (Il. I, 279. Il. XVII, 251), ut justitiae conservatori (Ulixes enim ipse dicit Od. XIII, 213 Ζεύς σφεας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅστε καὶ ἄλλους — ἀνθρώπους ἐφορᾷ καὶ τίνυται, ὅστις ἁμάρτῃ. — Il. I, 128), ut Ulixi auxilium ferat, quasi officium esse.

Solus autem locus quo de hac vi, quam Jovem in Odysseae res exercere diximus, dubi-

τίς δ' ἂν ἑκὼν τοσσόνδε διαδράμοι ἁλμυρὸν ὕδωρ, ἄσπετον; οὐδέ τις ἄγχι βροτῶν πόλις, οἵτε θεοῖσιν ἱερά τε ῥέζουσι καὶ ἐξαίτους ἑκατόμβας.
ἀλλὰ μάλ' οὔπως ἔστι, Διὸς νόον αἰγιόχοιο οὔτε παρεξ ἐλθεῖν ἄλλον θεόν, οὔθ' ἁλιῶσαι.

*) Calypso de Ulixe ob Jovis jussum dimittendo — ἐπεὶ οὔπως ἐστί, ait, Διός νόον αἰγιόχοιο
οὔτε παρεξ ἐλθεῖν ἄλλον θεόν, οὔθ' ἁλιῶσαι·
ἐρρέτω, εἴ μιν κεῖνος ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει
πόντον ἐπ' ἀτρύγετον·
Et respondet Mercurius:
οὕτω νῦν ἀπόπεμπε, Διὸς δ' ἐποπίζεο μῆνιν,
μήπως τοι μετόπισθε κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ.

dubitatio aliqua moveri possit, Odyss. l. V, 1 — 33 legitur.

Attamen hunc quoque ita ut consentiat opinioni quam de Jove Odysseae protulimus, interpretari nos posse arbitramur. Sensus enim hujus loci ita nobis enodandus videtur.

Primo jam libro Juppiter ut decerneretur Ulixi reditus effecerat. Concedatur autem necesse est, rationibus suis Jovem, ut non statim quod decreverat perficeret, moveri potuisse. At Minervae nihil longius videtur, quam dum Ulixem videat redeuntem; itaque in altero deorum concilio (Od. V, pr.) rursus malae Ulixis sortis Jovem commonefacere tentat. Sed longe aliter quam primum Od. I, 44 sq. Tunc enim ingenue et aperte voluntatem suam edixerat, nondum enim perterrita fuerat vi orationis quam Juppiter profuderat quum acclamaret ei: „Quaenam vox tibi excidit, ipse scio mihi res Ulixis curandas esse!“ Atque quod semper lubricum erat, Jovem officii admonere, post acerbiorem illam vituperationem, quam tulerat (τέκνον ἐμὸν ποῖόν

*ce* — —), praesertim postquam Juppiter jam de Ulixis sorte secum decrevit, multo etiam difficilius videri debebat. Itaque jam minus aperte, quam primo loco pro Ulixe precatur, atque id, quod exoptat, ut Juppiter adjuvare Ulixem velit, tecte tantum significat. Quod autem directe dicit, nihil est nisi impetus in populos, qui tam clementer ab Ulixe regnati, tam infesto in eum sint animo. Neque quae alia narrat de Ulixis apud Calypsonem calamitatibus directam pro Ulixe precationem eloquuntur. Summa autem eorum quae dicit est: „Quia populi Ulixis tam male beneficiorum gratiam referunt, numquam in posterum reges humanum imperium exercere, sane quam par esset!“ Ad quae Juppiter Minervae respondet: „Arbitrabar te ipsam satis prudentem fuisse, ut crederes longe aliud quid sequi ex illa procorum nequitia, videlicet ut Ulixis sit, diras ab istis poenas et vindictam expetere.“ Juppiter enim non directe ad tectam Minervae significationem sed ad eam solam sane admodum miram sententiam quam illa disertis verbis protulerat, respondet. Tunc

Mercurium quod necessarium in Ulixis re exsequi jubet. Quae quum ita sint intelligere non possumus quomodo tarditas Jovi in Ulixe juvando ob illud cum Minerva colloquium tribui possit, quod indicare nihil aliud videtur, nisi magna auctoritate Jovem in rebus humanis regendis praepollere, atque eum a tam excelsa dea qualis Minerva est, coli summa cum reverentia.

Hisce igitur omnibus expositis, in iis rebus quae Iliadis et Odysseae maximae nobis videntur, sub diversissimis formis unum idemque, nimirum *bonae causae de mala*, justi de injusto, lucis de caligine, amoris de odio victoriam latere judicamus, divinum autem moderatorem summum quo paretur ea, longe superantem ceteros deos in gubernatione rerum humanarum esse Jovem. *)

*) Quod dicit O. Müller Prol. pag. 247 de illa Jovem cogitandi ratione qua nominatur Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε etc.: „es ist dies keineswegs die in der homerischen Poesie herrschende, ihre eigenthümliche Betrachtungsweise“ — equidem comprobare non possum, neque illud pag. 246: „Offenbar hat der Dichter eine doppelte Weise, diesen höchsten Gott aufzufassen etc.“ Discedimus quoque hoc loco a Platneri sententia pag. 44. — Magis probandum videtur quod dicit auctor vit. Homeri pag. 336: οἶδε (Homerus) ὅτι νοῦς ἐστιν ὁ θεός, ὁ πάντα ἐπιστάμενος καὶ διέπων τὸ πᾶν.

TYPIS TROVITSCHIAE ET FILII.